



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



D V P L E X  
D I S S E R T A T I O  
D E D V O B V S N V M M I S

DIOCLETIANI ET LICINII

*Ex Cimelijs Sereniss. ac Reuerendis. Principis*

L E O P O L D I  
C A R D I N A L I S M E D I C E I.

Cum Auctario Chronologico

D E V O T I S D E C E N N A L I B V S

IMPERATORVM AC CÆSARVM.

A V C T O R E

F. HENRICO NORIS VERONENSI

A V G V S T I N I A N O

Serenissimi Magni Etruriæ Ducis COSMI III.  
Theologo, & in Academia Pisana Ecclesia-  
stica Historiæ Professore.



P A T A V I I, M D C L X X V I.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

S U P E R I O R V M P E R M I S S V.





# D V P L E X D I S S E R T A T I O

DE DVOBVS NVMMIS

## DIOCLETIANI ET LICINII

*Ex Cimelijs Sereniss. ac Reuerendiss. Principis*

## L E O P O L D I CARDINALIS MEDICEI.

Cum Au&ario Chronologico

## DE VOTIS DECENNALIBVS

IMPERATORVM AC CÆSARVM.



A V C T O R E

F. HENRICO NORIS VERONENSI  
AUGVSTINIANO

Serenissimi Magni Etruriæ Ducis COSMI III.  
Theologo, & in Academia Pisana Ecclesia-  
stica Historiæ Professore.



PATAVII, MDCLXXVI.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

SUPERIORVM PERMISSV.



D V P L E X  
 DISSERTATIO  
 DE DVOBVS NUMMIS

DIOCLETIANI ET LICINII

*Ex Cimelijs Sereniss. ac Reuerendiss. Principis*

LEOPOLDI  
 CARDINALIS MEDICEI.

Cum Au&ario Chronologico


DE VOTIS DECENNALIBVS

IMPERATORVM AC CÆSARVM.

AUCTORE

F. HENRICO NORIS VERONENSI  
 AVGVSTINIANO

Serenissimi Magni Etruriæ Ducis COSMI III.  
 Theologo, & in Academia Pisana Ecclesia-  
 sticæ Historiæ Professore.



PATAVII, MDCLXXVI.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

SUPERIORVM PERMISSV.

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947

1947



SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI  
**L E O P O L D O**  
**CARDINALI MEDICEO**



*I tantum mihi ingenij esset in re antiquaria intelligenda, quantum tibi, SERENISSIME PRINCEPS, studij ac industriae inest in eadem supra omne praconium illustranda: profecto hilari ac prompto animo iniunctam mihi à tua Celsitudine insignium Numismatum interpretationem adgrederer, nec eruditorum censura ullum mihi metum, vel saltem moram injicerent, quominus id quod sen-*

*tio, in literas mitterem, ac publici iudicij aleam tentarem. Cum ad insignia quaeque prioris aetatis monumenta comparanda, animum iam pridem contuleris, nulli industriae, nulli sumptui, nullis denique difficultatibus parcis, ut inscripti antiquitus lapides, pictae tabulae, vetusta Numismata vel apud remotissimas gentes conquesta, tuae plane regiae Gazae cum praetium, tum splendorem adjuvant. Vidit haec aetas grande miraculum, cum magni Principes, horumque votis ac suis pariter lucris indulgens subditorum avaritia, mille navibus toto Oceano sparsis, ingenti auri atque argenti ponderi, ac pretiosissimis mercibus in Europam devehendis inhiaret, Africanorum marmorum antiquitus inscriptorum aceruos, hoc est, victricis Romae reliquias barbarico squalore sordentes, ac longioris temporis edacitate corrosas, tuis navibus in Etruriam aduectas, Mediceorum Musei atria nobilitasse. Scimus olim Romanos Duces è devictis Graeciae atque Asiae Urbibus, eximij operis statuas ac pulcherrima signa abstulisse, ut publici veluti Orbis rapinis priuatas in Urbe aedes locupletarent. Verum tot inscriptos lapides eruditionis tantum promouendae gratia, è longinquo adductos, nullius plane seculi, nullius exempli, sed tui tantum erga rem antiquariam studij fuit. Cum vero probe nosset totius antiquitatis thesaurum in vetustis ac alta rubigine obductis Numismatibus contineri, quamvis regnantis familiae Gazam innumeris id genus priscae aetatis monumentis ad miraculum refertam scires, nova tamen eidem & praetij & splendoris incrementa daturus, antiqua Augustorum, Regum, ac Coloniarum Numismata ubique gentium incredibili solertia conquesta, quod de Caesare vetusta quae-*

que colligente Suetonius dixit, animosissimè comparasti; & cum ceteri hominum recens cuse pecunie cupiditate ad insaniam usque teneantur, tu priscarum gentium nummis colligendis intentus, pauca area ac scabra rubigine exesa Numismata multis aureis redimere, in maximi lucri loco ponis; cum planè intelligas pretiosa illa suppellectile homines non ditiores fieri, sed sapientiores; siquidem totius Orbis historia ere perenni ducta, immortalibus characteribus in nummis describitur. Ceterum tam preclaras primoris aui memorias haud in sinu condis, vel uni tibi inspiciendas sigillo munis, sed illas liberali prorsus custodia ita seruas, ut passim reclusis scrinijs, easdem eruditorum oculis lustrandas exhibeas; & quo absentibus quoque prodesse possis, Numismatum eclypsos ad eruditiores antiquarios transmittis, ut ipsorum commentarijs inserta, in oculis omnium, ac in ore fama versentur. Verum quod recens inuentorum Numismatum, quibus minus ab auro pretium inest, interpretationem mihi tua Celstudo iniungit, vereor ne quantum tibi laudi dabitur, quod eruditorum procul hinc Mufis vacantium, iudicia minimè expectans, sed morae impatiens, citissimam eorundem explicationem urgas, tantundem mihi vitio deputetur, quod cum antiquariorum sacra vix à limine salutauerim, illotis, ut aiunt, manibus docta cimelia tractare non extimui. Profectò pudori meo satius silentio consulerem, ni iussis tue Celstutudinis, quibus refragari piaculum sit, ad opus impellerer, in quo tentando non eruditionis famam, sed purum putum obsequij nomen, & ne hoc quidem cum laude, sed cum venia tantum expecto.

**SEBENISSIMÆ TVÆ CELSITVDINIS**



Humillimus atque addictiss. servus  
F. HENRICVS NORIS  
Augustinianus,

**DIS**



DISSERTATIO PRIMA

DE NUMISMATE  
IMPP. DIOCLETIANI ET MAXIMIANI.



Ostquam Romanum Imperium in Augustum, dein successores Principes cessit, non defuere præclara ingenia, quæ Cæsarium tum bello tum pace gesta in literas mitterent, ac seræ posteritati commendarent. Verùm quinto postea seculo irruentibus in Italiam barbaris, ac victricem gentium provinciam igne ferroque vastantibus, insignia quæque rerum ge-

starum monumenta communi urbium ac populorum fato conclusa, pessum iuere. Nam cum iniectis facibus nobilissima oppida incendio absumerentur, nulla seruandarum bibliothecarum cura quempiam incessit; cum singuli quique publicis priuatisque rebus hostium furori permissis, in secretiora montium latibula arrepta fuga, dilaberentur. Hinc tot insignium scriptorum monumenta interiere, ut fortissimorum Principum gesta vel penitus in obscuro lateant, vel minima ferè parte, tanquam pauca è publico naufragio tabulæ emerlerint. Ipsi etiam saxi Capitolinis, in quibus Consulium nomina æternitati dicata credebantur, eorundem hostium furore deiectis, Romani Imperij fastitanta obscuritate oblitæ ad posteros peruenere, ut iisdem innixa Augustorum historia, eadem caligine oppressa, per plura secula iacuerit, donec Onuphrius Panuinus ad Romanam historiam è tenebris eruendam natus, Romanos fastos pari diligentia, ac felicitate pristino ferè nitore restituit. Etenim immane opus adgressus, omnibus tum Græcis tum Latinis voluminibus euolutis, sparsas tota Vrbe & Italia inscriptiones lapidum colligens, Imperatorum Numismata, ac vetusta quæque antiquitatis cimelia perlustrans, florentis Reipublicæ, ac omnium maximi Imperij fastos summa cum laude reparauit. Hinc ab eruditissimis scriptoribus tot in eundem congesta elogia, ut iustæ molis librum conficerent, si vndiquè excerpta in volumen cogerentur. Vnus instar omnium Lipsius in notis ad panegyrum Plinij, *Onuphrius*, inquit, *verus Pater principalis historiae, & Fastorum*. Sed tantæ molis ultimam nondum manum impositam his planè conqueritur Scaliger lib. 5. de emendat. temp. pag. 497. *Magna perturbatio est in Consulibus, & annis Diocletiani, Constantini Magni, & filiorum eius in fastis Onuphrianis, non utique culpa viri, quem verè ætas nostra PATREM HISTORIÆ vocare potuit, sed difficultate rei*. Ego quidem, ut ingenuè fatear, licet Panuini mei (cui enim meum non

non dixerim, quem eadem patria, idemque religiosæ familiæ institutum mihi coniunctissimum fecit?) diligentiam mirari potius, quàm pro merito laudare possim, nunquam tamen adeo animum despondi, ut eiusdem fastos, sicubi luxati viderentur, reparandorum curam abiecerim; video enim accuratissimum ac solertissimum messorum in campo paucas etiam posteris, quas colligerent spicas, fecisse reliquas. Hoc autem veterum schedarum, antiquorum lapidum, ac Numismatum, quæ subinde è tenebris eruantur, præsidio præstare me posse spero: præsertim in tam dulci ac planè beatissimo literarum otio, quod regia Serenissimi Magni Ducis COSMI III. munificentia in Etruria nactus sum, eiusdem copiosissimis tum impressorum, tum manu exaratorum voluminum bibliothecis, ac ditissimis veterum Numismatum gazis, invidenda planè sorte, mihi reclusis. Huic tamen meæ felicitati maiora subinde incrementa adiicit erudita Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI industria, dum utramque literariam regnantis familiæ suppellectilem noua insignium voluminum copia, ac selectissimorum Numismatum delectu non ad Bibliothecæ, vel Cimeliarchij pompam, sed ad vberrium Musæum quæstum, ac bonarum artium splendorem exornat. Etenim, ut innumera id genus exempla missa faciam, vno Diocletiani nummo aureo eodemque pulcherrimæ cælaturæ, quem nuper suum in Museum retulit, tabulæ consulares hostium, ac temporum iniuria laceratæ, pristino nitore restituuntur. Hoc sanè eximie Serenissimi Principis gloriæ grata posteritas deputabit, dum exactam fastorum, quòd Diocletiani Imperij annos attinet, integritatem Scaligero desperatam, Petauio dubiam, ceteris verò aut deprauatam, aut confusam, vno sibi aureo à magno Principe redemptam accipiet.

## C A P V T I.

*Nummi Medicei descriptio. Domini titulus à Diocletiano in nummis usurpatus Initium Imperij Diocletiani ex Paschali S. Proterij Martyris Epistola contra Scaligerum demonstratur. Illius anni Consules ex antiquo lapide ac codice Iustiniani adversus V. C. sententiam assignantur. Vulgaris opinio de Consulatibus Diocletiani, & Maximiani proponitur.*



**I**N antica parte Numismatis maioris magnitudinis visuntur Imperatores Diocletianus ac Maximianus laureati, ac consularibus trabeis induti, sese inuicem inspicientes. Vterquè scipionem eburneum stringit, in cuius superiori parte aquila apparet. Scribit Dionysius Halicarnassensis lib. 3. inter regia dona ab Etruscis victori Tarquinio missa, fuisse sceptrum in summitate

te



*et habens aquilam, eoque vsum Tarquinium, ac exactis regibus annuos Consules.* Hinc Iuuenalis Sat. 10. V. 43. Consulem describens ait:

*Danunc & volucrem, scepro quæ surgit eburno.*

Exstat apud Tristenum tom. 2. p. 507. Gordiani nummus, in quo Imperator trabeatus idem omnino sceptrum stringens exhibetur cum epigraphe: TR. P. III. COS. II. Iniuit quartum tribuniciam potestatem anno vulgaris Æræ Christianæ 241. quo alterum consulatum gessit. In nummo etiam Crispi, in quo COS. II. obsignatur, idem Caesar scipionem eburneum cum aquila in summitate regit apud CL. Patinum, ut planè appareat, eo scepro consularem dignitatem significari. In postica parte eminet currus triumphalis iunctis quatuor Elephantis; singulos autem bini fessores regunt, aduersa ad currum facie. Imperatores stantes in quadriga triumphali, nempe capsa ex omni parte in ambitum causa vehuntur, desuper victoria, quæ hinc inde palmas spargit. Hæc quidem Victoria in ætippo eodem prorsus modo scalpata est, quo in aureo Numismate exhibetur; neque enim decuit eandem elegantiori stylo in nummi typo signari. Porro in neutra Numismatis inscriptione epitheton DOMINI legitur; nondum enim Diocletianus inuidiosum illum Romanis titulum usurpauerat. Scribit Aurelius Victor Schotti de Diocletiano: *Se primus omnium Caligulæ post, Domitianumque Dominum palam dici passus.* Obseruo in lapidum inscriptionibus Augustos iam inde ab imperio Commodi Dominos plerumque appellatos. Ita planè nuncupantur Seuerus ac Antoninus Gruteri pag. 29. Alexander Seuerus pag. 121. Gordianus pag. 29. Philippus pag. 179. Gallus ac Volusianus pag. 1081. Æmilianus pag. 273. ubi etiam Traianus in lapide Tarraconensi Dominus inscribitur. Hunc tamen titulum subditorum adulatio priuato iure Imperatoribus defererebat, quod & in epistolis Plinij ad Traianum patet; nam hic teste eodem in panegyri, & Alexander ex Lampridio in eius vita, Domini epitheton recusarunt. Ceterum in nummis primus omnium passim Domini titulum usurpauit Diocletianus, cuius exemplum successores imitati sunt. Imò idem Diocletianus adhuc superstes ac procul ab Imperij fastigio, ex quo ad priuatam vitam sponte descenderat, Augustis Dominus appellabatur, ut patet ex edicto Maximini apud Eusebium lib. 9. cap. 9. & rescripto Licinij L. 2. *de censu* Cod. Theod. Ex inscriptione tamen Numismatis Medicei colligitur nondum anno 287. Domini titulum memorato Imperatori delatum fuisse, quem postea hostibus debellatis, vesana ambitione usurpauit.

Annum V. C. MXL. Æræ Christianæ iuxta Dionysianam computationem 287. hoc consulari charactere Panuinus signauit: *Diocletiano III. Maximiano II. Coss.* Porro tantum celeberrimi scriptoris auctoritas valuit, ut Baronius, Sigonius, Goltzius, Caluissius, alijque historici, ac chronologi in eandem sententiam pedibus iuerint. Huic tamen communi placito rarissimum Serenissimi Cardinalis numisma refragatur, in quo cum tertio consulatu Diocletiani prior Maximiani componitur, ut ex inscriptione lucet: *IMP. DIOCLETIANO III. MAXIMIANO CCSS.* Hunc autem characterem non modò exactum arbitror, verum etiam tanto veterum monumentorum consensu consecratum, ut certè mirari lubeat, viros doctissimos in alienam sententiam descendisse. Hoc ut clarius ostendam, Diocletianæ Imperij

perij initium præmittendum est cum quinque consulum interculis, quorum emendationem ex Mediceo Numismate postea subijciam.

ANNO VRBIS C.

AERÆ CHRISTIANÆ

1137.	CARINO II. ET NVMERIANO COSS.	284.
1138.	IMP. DIOCLETIANO II. ET ARISTOBVLÖ	285.
1139.	MAXIMO II. ET AQVILINO	286.
1140.	IMPP. DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO II.	287.
1141.	MAXIMO, ET IANVARIO	288.

Cum Numerianus Imperator è bello Persico victor in Europam reuertens, Arrij Apri soceri insidijs occubisset, C. Aurelius Valerius Diocletianus vilissima stirpe in Dalmatia natus, sed longa militia insignis, ac domesticos id temporis regens, Imperator Augustus nuncupatus fuit. Diocletiani inaugurationem peractam anno V. C. 1137. Epochæ Christi 284. Carino II. & Numeriano Coss. locupletissimis testimonijs ab eruditissimis viris Baronio, ac Petauio probatum est, quibus dimissis, nouas eam in rem probationes arcessam. Sanctus Proterius Patriarcha & Martyr Alexandrinus in Epistola Paschali plures characteres exhibet, quibus initium Diocletianæ Imperij anno 284. alligatur. Vnum tantum afferam. *In octogesimo nono, inquit, anno ab Imperio Diocletiani superstite Patre nostro, & Episcopo Athanasio, cum XIV. Luna Paschalis XXVIII. die mensis Phaminoth, idest nono Kalendarum Aprilum die prouenisset, die Dominico, in subsequentem translatus est hebdomadem, ita ut quinta die mensis Pharmuti, hoc est, pridie Kalendarum Aprilium, celebraretur Pascha Dominicum.* Est character anni 373. qui cum dicatur octogimus nonus ab Imperio Diocletiani, patet Imperium Diocletiani inchoatum anno 284. Idem tradit S. Ambrosius in Epistola ad Episcopos Emiliæ, vocans eundem annum octogesium nonum *ex die Imperij Diocletiani*, quo anno xv. Martij incidit in diem Dominicam ix. Kal. Aprilium; unde ne Pascha celebraretur in die termini, in alteram Dominicam diem dilatum est. At anno eodem 284. fuisse consules Carinum II. & Numerianum fratres Augustos, ex fragmento antiquissimo consulari, quod desinit in annum 354. à doctissimo Bucherio publicato euidenter demonstratur. Etenim cum ibidem anni Bissextiles, ac feriæ in quas Kalendæ Ianuariæ eorundem annorum incidunt, exactissime designentur, hæc legimus cap. 14. pag. 249. *Carino II. & Numeriano B. Mar.* Est planè annus 284. qui fuit Bissextilis, & Kalendæ Ianuariæ inciderunt in diem Martis Cyclo Solis XIII. Lunæ XIX. lit. FE. Vnum superest probandum, Diocletianum iisdem consulibus ad Romani Imperij fastigium euectum. Est planè aureum testimonium nemini hucusque obseruatum, *L. ut nemo inuitus* lib. 3. Cod. Iust. vbi legitur in titulo *Imp. Diocletianus Augustus Camerius*; dicitur verò rescriptum *Dat. idibus Octobris Carino II. & Numeriano Coss.*

Baronius post Cassiodorum, ac Victorium Aquitanum anno 284. assignat Carum II. & Numerianum AA. Coss. addens *ab alijs perperam* poni Carinum II. & Græcos fastos appellat, in quibus ait, Carum II. & Numerianum Coss. legi, itemque antiquum epigramma, quod postea subijciam. Sed ex

fastis

fastis libri de præfectis Urbis, & Anonymi apud Bucherum. Carinus II. & Numerianus consules digeruntur. Imò in fastis Græcis apud Scaligerum legimus *Ind. γ. ΤΠ. ΚΑΡΙΝΟΥ ΤΟ. Β. καὶ ΝΟΤΜΕΡΙΑΝΟΥ. Indictione tertia Consulatū Carini II. & Numeriani.* Erratum est in indictione; nam anno 284. Kalendis Ianuarij labebatur indictio secunda; ob proximè intrusum ante Carinum, & Numerianum par consulum Diocletiani & Bassi, error irrepsit. Ex plurimis rescriptis Cod. Iust. opinio Cassiodori refellitur. *L. 3. de reuocand. donat. PP. II. Idus Ianuarias. L. 5. de donat. PP. Romæ VI. Kal. Februarias. L. 19. ex quibus causis PP. XVII. Kal. Febr.* quæ omnia rescripta dicuntur data Carino, & Numeriano Coss. Cum verò in titulis earundem legum inscribantur *Imp. Carinus, & Numerianus*, palam sit ineunte anno 284. Carum Imperatorem non fuisse superstitem, sed eiusdem filios imperasse, ac vnà simul Kalendis Ianuarijs ordinarium consulatū inisse. Antiquum hoc epigramma à Baronio productum, eiusdem sententiam euerit.

VICTORIOSISSIMO FORTISSIMO ADQVE VICTORIOSISSIMO  
PRINCIPI IVENT. CLEMENTISSIMO PRINCIPI IVENT.  
M. AVRELIO CARINO IMP. CAES. M. AVRELIO M. AVREL. NVMER.  
NOBILISS. CAESARI CARO INVICTO AVG. NOBILISS. CAESARI  
COS. PRO. COS. P. M. TR. POT. II. COS. II. PRO. COS.  
P. P. PRO. COS.  
M. AVRELIVS VALENT. V. C. LEG. AVGG. PROPR. PROVINCIÆ  
HISPANIAE, CITERIORIS. D. N. M. Q. EORVM.

In hac inscriptione consulatus II. Cari Imperatoris componitur cum primo Carini, quo tempore Numerianus nondum consul, sed Proconsul tantum appellatur, ac proinde rectè cum Numeriano ponitur Carinus consul II.

Panuinus diem natalem Imperij Diocletiani statuit ipsis parilibus vrbis, nempe XI. Kal. Maij, quod postea etiam asseruere Baronius, Goltzius, Caluissius, Scaliger, alijque communiter. Verum ex codice Iustinianæo, & Eusebio Cæsariensi, qui id temporis viuebat, illorum scriptorum opinio falsi conuincitur. Lib. 10. Cod. laudatur *lex. 4. de delat. PP. III. Kal. Sept. mbris Carino, & Numeriano Coss.* in illius verò titulo leguntur *Imp. Carinus, & Numerianus*. Itaque exeunte Augusto viuebat Numerianus, vel eiusdem mortis nuncium nondum Carinus acceperat, si laudata lex ab hoc ipso emissæ asseratur. Eusebius cap. 2. de martyribus Palæstinis in appendice lib. 8. edit. Valesianæ, scribit Romanum martyrem occisum die 17. Nouembris anno primo persecutionis Diocletiani. *Post quod supplicium, inquit, concussus in carcerem, ac diutissimè ibidem maceratus, tandem cum Imperatoris Diocleti anni vicennalia iam adessent, & ex solemnī more vniuersis, qui in custodia tenebantur indulgentia publicè per præconem annunciata esset, solus ad quatuor vsque puncta distentus habens pedes, in ipso iacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio sicut optauerat, exornatus est.* Quo luculento testimonio ostenditur Diocletianum nequam ipsis parilibus Imperium suscepisse, cum vicennalia ante diem XIV. Kal. Decembris peregerit. Ex fastis Siculis, seu Chronico Alexandrino Diocletianæ Imperij initium intelligimus. Etenim ad consulatū Carini II. & Numeriani hæc leguntur: *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octobris Chalcedo-*

*Inrenuntiatus; 17. Kal. Octobris Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Ianuarijs consul praefectus. Itaque die 17. Septembris Imperium exercitu deferente, cepit. Scaliger primus hosce fastos publicauit, quos etiam sapius Paninus appellat, vterque tamen ad urbis parilia illius Augusti initia fuit, quibusdam Mamertini verbis mori, quae oppositum tamen indicare Petauius ostendit. Doctissimus Valesius in notis ad cap. 2. de Martyribus Palaestinis scribit, vel Eusebium, vel scriptorem laudati Chronici in assignando primo Diocletianae Imperij mense non recte calculos posuisse. Sed ex rescripto Diocletiani signato idibus Octobris A. 284. patet, Eusebium errasse, dum scripsit vicennalia eiusdem vota soluta die 17. Nouembris, cum Septembrem dicere debuisset. Fortè Nicomediae XV. Kal. Octobris praesente Diocletiano vicennalia peracta sunt, & postea XV. Kal. Nouembris Antiochiae, ut iisdem solemnibus adesset Augustus; illo enim id temporis ea in urbe degente, appetentibus vicennialibus festis, Romanus occubuit. Ex hac chronologia Ecclesiastica tum profana historia plurimum illustratur; siquidem in sacris fastis Numeriano imperante, plurimi Martyres recensentur, cum idem per octo menses A. 284. in imperio vixerit. Insignis annalium conditor bimestrem tantum eidem imperium assignans haec scripsit: *Cum Numerianus paulo post patrem interfectus sit: unde quaso quod nonnulli Martyres sub Numeriano passi legantur in cunctis Martyrologijs? haud res est facilis demonstrata.* Scaliger etiam in notis ad Eusebium num. 2299. ludos quos à Numeriano datos Calpurnius tecinit, intra tam paucos dies quibus eundem patri superstitem putat, vix edi potuisse existimans ait: *Hoc ambiguum mirari magis, quam soluere possumus. Quae tamen ex hucusque demonstratis nullo negotio intelliguntur.**

## C A P V T II.

*Doctissimi H. Valesij de suspecto consulatu secundo Diocletiani opinio expenditur. Petauius eidem in laudato consulatu collegam assignat Maximianum Augustum. Ex Mediceo Numismate, & antiquis inscriptionibus refellitur. Vetus inscriptio mutila explicatur, & restituitur.*

**C** Arinus Diocletiani inauguratione intellecta, copias undique accerserat, ut æmulum ab Imperio detruderet; itaque ciuile bellum conflagrum. Diocletianus cum postrema anni parte consulatum suspectum gessisset, Kalendis Ianuarijs A. 285, iterum consul collega Aristobulo processit. Henricus Valesius de sacra ac profana historia ultra omne præconium benemeritus, in notis ad lib. 23. Ammiani Marcellini pag. 250. scribit A. 285. Kalendis Ianuarijs Carinum III. & Aristobulum consulatum iniisse; nam in fastis Idacij legimus: *Diocletiani II. & Aristobulo. His cons. occisus est Carinus Margo, qui ipso anno cum Aristobulo consul processerat.* Aristobulus in castris Carini praefectum prætorio agebat, cum Diocletianus contra Carinum moueret. Horum testis est Victor Schotti. Ceteris, inquit de victore Diocletiano, *venia data, retentique hostium, fere omnes, ac maxime vir insignis Aristobulus praefectus prætorio per officia sua.* Quare Diocletianus Kal. Ianuarijs non suscepit alterum consulatum cum Aristobulo, cum hic in Carini castris id temporis militaret,

ac

ac præcipuus partium Dux haberetur, nec nisi occiso demum suo Principe, ad Diocletianum se contulerit. Hinc putat vir eruditissimus Diocletianum victo apud Murgum in Mysia superiori Carino, eiusdem vtpotè hostis, nomen è fastis expunxisse, seque suffectum consulem designasse. Sirmondus, ne Carinum tertio consulem in fastis, quos Idacij nomine inscriptos omnium primus publicauit, contra ceteras consulares tabulas obtruderet, nonnulla textui pro arbitrio inseruit, nempe: *His coss. occisus est Carinus* [ & leuatus est Diocletianus Imperator ] *qui ipso anno cum Aristobulo consul processerat*: vt non Carinus, sed Diocletiani kal. Ianuarijs consulatum ordinarium inierit. Sed in MS. codice additum illud non legitur, vti patet ex iisdem fastis quos postea Labbeus edidit tomo priori Bibliothecæ MS. Gallicanæ; vbi videmus eosdem fastos desinere A. 468. Anthemio Augusto consule, quamvis in MS. vltcrius etiam procedant. Eos nunquam Idacio homini Hispano adscripserim; hic enim in suo Chronico res ferè tantum in Hispania gestas recenset, quarum in fastis illis silentium, vt ijdem aliena planè manu digesti videantur. Vocabo tamen Idacianos, quia ex priori editione ita passim ab eruditis nuncupantur. Præter ea errorem eisdem fastis imponit, dum anno 285. Diocletianum Imperatorem designatum exhibent, qui anno superiori purpuram induerat. Reponit Reformator Chronologiæ lib. 4. cap. 10. num. 17. *leuatus dixit, non creatus, sed exaltatus supra emulos suos*. At lubrica prorsus interpretatio; siquidem antiquus ille chronologus nouas Principum inaugurationes his verbis passim designat: *leuatus est*, vt in Aureliano, Tacito, Maximiano alijsque patet.

Valesius vti est in veterum lectione accuratissimus, rectè tertium Carini consulatum ex illis fastis asseruit. At quòd Diocletianum suffectum consulem obtrudit, ex fastis Siculis, seu Alexandrino Chronico palam refellitur; ibi enim post recitatam Diocletiani inaugurationem ante diem XV. kal. Octobris, hæc leguntur: *Καλανδαὶς Ιανουαρίαις προήλθεν ὕπατος*: *kalendis Ianuarijs consul processit*. Adest alterum locupletissimum testimonium *L. 2. si quis aliquem*, quæ emissæ est à Diocletiano, & dicitur *proposita kal. Ianuarijs Diocletiano II. Aug. & Aristobulo coss.* Itaque Diocletianus A. 285. ipsis kalendis Ianuarijs consulatum ordinarium capeßiuit. Diocletianus cum accepisset Aristobulum à Carino in trabeæ societatem adscitum, quo probatæ virtutis ducem in partes traheret, eundem vnà secum consulem designauit. Etenim ciuili bello Augustos semet vna cum alijs in varijs Orbis Romani prouincijs consules designabant. Postumus cum imperante Gallieno Galliarum imperium occupasset, plures consulatus gessit, quorum tamen nulla in fastis mentio. Cernuntur in Cime-larchio Serenissimi Magni Ducis nummi cum epigraphe: *IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS P. F. AVG. P. M. TR. . CCOS. II. & apud Trifanum COS. III. & COS. V.* qua de re plura inferiùs in descriptione nummi Liciani producam. Quòd verò Aristobulus, quamuis in Carini hostis comitatu summo cum magistratu versaretur, in consulatus consortium à Diocletiano vocatus fuit, eximiæ Aristobuli virtuti detur, vel ab ipso hoste tam honorifico testimonio commendatæ. Ita idem Diocletianus Ceionium Varum Præfectum Vrbis à Carino declaratum, in magistratu retinuit. Quod autem Carini nomen è fastis à Diocletiano expunctum non fuerit, patet ex *L. vt ne-*

*mo inuitus*, quæ licet à Diocletiano emissa, *Carini* tamen consulatu subsignatur. Ceterum victoriam Diocletiani paucis Eutropius perstringens ait: *Carinum omni odio ac detestatione uiuentem apud Murgum ingenti pralio uicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiolem habebat, certè desertum inter Viminacium, & aureum montem*. In tabulis Peutingerianis ad ripam Istri in Myfia superiori legimus: *Aureo Monte X. Murgum XIV. Viminacio*.

Concors ferè omnium sententia est, hoc anno 285. M. Aurelium Valerium Maximianum ab Imperatore Diocletiano Cæsarem designatum; ita scripsere Baronius, Panuinus, Goltzius, Caluissius, & doctissimi nummorum interpretes Occo, Tristanus, Patinus, Angelonus; alijque passim præeunte Eutropio lib. 9. Imò Petauius lib. 11. de doct. temp. cap. 31. putat Maximianum hoc ipso anno designatum fuisse Augustum, & consulem suffectum ex vetusti lapidis inscriptione apud Gruterum pag. 280. *que*, inquit, *Diocletiani in secundo consulatu collegam tribuit Maximianum Augustum: MAXIM.... AVG.... N. DIOCLETIANO II. COSS. SVB FELICE PROC. AVG. N. THERM. ANTONIANARVM*. Hic in secundo consulatu collegam Diocletianus habuit Maximianum Augustum. Et quidem quod suffectum Maximiani consulum attinet, Panuinus lib. 2. fastorum ad annum V. C. apud ipsum, 1136. epochæ Christianæ 284. Maximianum consulem suffectum ponit Kalendis Iulij, & quod annum spectat, consentiunt Caluissius, ac Goltzius.

Vt ab hoc postremo incipiam, huic suffecto Maximiani consulatui aperte refragatur nummus Mediceus, in quo primus consulatus Maximiani ordinarius asseritur, collega Diocletiano tertium consule A. 387. quod ipsum ex antiquo lapide, ac plurimis legum subscriptionibus demonstrabo. Miror autem Caluissium fastos Siculos appellare, cum illi cum Mediceo Numismate planè concinant; etenim ibidem legitur. ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΤΟ Β. καὶ ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΥ ΕΡΚΟΥΑΙΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, ut perperam ijsdem fastis suffectus Maximiani consulatus attribuitur. Sed nec antiqui lapidis epigramma Petauio suffragatur; siquidem hoc eiusdem fragmentum à Grutero ponitur.

F L O R E N T  
E T P I I S I  
D. N. V A L E  
M A X I M  
S E M P E R  
  
C. C E I O N I Y  
V. C. P R A E  
P R Æ F. V R B.  
I V D I C. D. N.

*In dextero latere*

MAXM. AVG.  
N. DIOCLETIANO II. COS.  
SVB FELICE PROC. AVG. N.  
THERM. ANTONIANARVM.

Profectò minus rectè Petauius legit *Maximiano Augusto N. Diocletiano II. Coss.* ut Maximianus anno 285. & Augustus & consul iudicetur; nam ita in lapide, ut eruditi norunt, legeretur, *Maximiano, & Diocletiano II. AVGG. COSS.*

**COSS.** Cum verò Maximianus in omnibus inscriptionibus marmorum, & legum, & in tabulis consularibus Diocletiano, à quo imperium acceperat, postponatur, perperam in laudata inscriptione huic præpositus fingitur. Imò cum ibidem hæ notæ appareant *D. N. & AVG. N.* palam fit, vnum Diocletianum Imperatorem designari; nam si Maximianus quoque Augustus exprimeretur, literæ eadem duplicatæ cernerentur, nempe *DD. NN. & AVGG. NN.* quemadmodum lucet in ceteris inscriptionibus, in quibus duo Augusti nominantur. Porro iuvat eandem inscriptionem integram reddere.

FLORENTISSIMO.  
ET PISSIMO.  
D. N. VALERIO. DIOCLETIANO.  
MAXIMO. INVICTO.  
SEMPER. AVG.  
C. CEIONIUS. VARVS.  
V. C. PRAEF. PRAETORIO. ET  
PRAEFECTVS. VRBI. VICE. SACRA:  
IUDICANS. DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATI. Q. EIVS.  
MAXIMO AVGVSTO DIOCLETIANO II. COS.  
SVB FELICE PROCVRATORE AVGVSTI NOSTRI  
THERMARVM ANTONIANARVM

In libello de præfectis vrbi A. 285. Diocletiano II. & Aristobulo Coss. Ceionius Varus ponitur Præfectus V. quemadmodum in laudata inscriptione, qui cum anno etiam superiori Carino imperante, in eodem magistratu fuerit, rectè dixit Victor Schotti Diocletianum occiso Carino, ceteros *retinuisse per officia sua*. Scaliger in comment. ad Euseb. num. 2231. postremam positæ inscriptionis partem ante Gruterum ex base Romani lapidis exscriptam protulit.

Ex antiquis inscriptionibus lapidum, & nummorum sententia Petauij de vocato in consortium Imperij cum Augusti titulo Maximiano A. 285. refellitur. Marmorum elogia cap. 4. producam; ibi enim Potestas Tribunitia X. Diocletiani cum VIII. Maximiani componitur, ex quo patet, Maximiani imperium in alterum annum protrahendum. Hubertus Goltzius accuratissimus Numismatum indagator, nummos postremo Maximiani Imperij anno cufos exhibet cum notis L. IH. quibus annus XVIII. designatur, & rectè; siquidem Kal. Aprilis A. 286; purpuram induit, eandemque A. 304. ipsis Kal. Aprilis Mediolani deposuit. Opponit Petauius antiquum panegyricum Maximiano dictum, in quo Orator eundem appellat *vicefimo anno Imperatorem*. At Panegyristes more Oratorum rotundo numero vsus fuit. Cum Diocletianus ineunte anno imperij vicefimo, vota vicennalia soluisset, eadem quoque Maximianus, vt cum imperij collega conueniret, biennio anticipauit; laudatur enim ab eruditissimo Patino Maximiani nummus inscriptus *VOT. XXX. AVGG.* quare quòd idem tricennalia vota nuncuparat, annum imperij vicefimum eidem Orator assignauit.

Ex his manifestè colligitur Maximianum nec consulem suffectum, nec Augustum anno 285. à Diocletianum designatum. Imò vix in communem sententiam trahi possim, qua vulgo tum historici, nummorum interpretes arbitrantur eodem anno Maximianum Cæsarem nuncupatum. Spartianus in libello



bello de vita *Ælij Cæsaris ad Diocletianum*, scribit eundem creatum fuisse Cæsarem ab Hadriano non testamento, vt antea moris fuit, sed eo genere, quo nostris temporibus à vestra clementia *Maximianus*, ac *Constantius Cæsares* dicti sunt, quasi quidam Principum filij viri, & *Augustæ maiestatis heredes*. Intelligit *Galerium Maximianum*, & *Constantium Chlorum*. Sanè *Maximianum Herculum* non omisisset, imò prior in exemplum vocandus fuerat, si prius Cæsar, dein *Augustus* designatus fuisset. *Victor Schotti* ait: *Maximianum statim secundum amicitia, quamquam semiagrestem, militiam tamen, atque ingenio bonum, Imperatorem iubet*. Nulla hic facta *Maximiani Cæsaris* designatio recitatur. Interpretes *Numismatum Maximianum Galerium nobilissimum Cæsarem pro Maximiano Herculo obtruserunt*. Occo nummos profert cum epigraphæ *MAXIMIANVS NOB. CAES.* eosque deputat *Maximiano seniori*. Cæterum hominem hallucinari constat ex inscriptionibus, quæ in postica parte leguntur: *M. SACRA AVGG. ET CAESS. NN.* item *SALVIS AVGG. ET CAESS.* vbi duo *Augusti Diocletianus*, & *Maximianus*, duoquè pariter Cæsares *Galerius Maximianus*, ac *Constantius* exprimuntur, ac proinde in antica parte *Maximianus Galerius*, non *Herculus* designatur. Duo illi Cæsares *A. 291. Kal. Martij* purpuram susceperunt, ac proinde illa *Numismata* post eorundem designationem cusa sunt; cum tamen *Maximianus Herculus* à quinquennio *Augustus* imperaret, vt patet ex nummis in quibus per annos octodecim inscribitur *AY. K. MAXIMIANOC CEB. L. A.* vsq; ad *L. IH.* & à *Mamertino* in panegyrico recitato *A. 289. die natali vrbis* idem dicitur *imperator, & Cæsar*. Itaque *Eutropius* errauit, dum lib. 9. scribit: *Diocletianus Maximianum Herculum ex Cæsare fecit Augustum, Constantium, & Maximianum Cæsares*. Pleno enim quinquennio inauguratio *Maximiani Augusti Cæsarem* designationem antecessit. *Panuinus* noster nummum laudat inscriptum *M. VAL. MAXIMIANVS. NOB. CAES. & AVREL. VAL. NOB. CAES.* Verum nusquam talis inscriptio in *Maximiani Herculei* nummis ab alijs antiquarijs qui gazas omnes veterum *Numismatum* diligentissimè perlustrarunt, inuenta fuit. Apud *Oconem* prostant nummi inscripti: *IMP. C. M. A. VAL. MAXIMIANVS P. F. AVGVSTVS*. Certè si *Panuini Numismata* reperirentur, essent rarissima, eisque dubium omne dispelleretur.

### C A P V T III.

*Maximianus in consortium Imperij à Diocletiano adscitus. Plures tituli legum Codicis Inst. emendantur. Prior Maximiani consulatus ex Mediceo Numismate cum tertio Diocletiani componitur. Vetus inscriptio, utriusque Augusti rescripta, antiqui fasti cum Græci tum Latini Numismati contra communem sententiam suffragantur. Duo laterculi Consulium in fastis eiusdem nummi præsidio corriguntur.*

**C**Um *Carinus* maximas aduersus *Diocletianum* copias ducturus, *Gallias* legionum præsidij nudasset, *Amandus*, & *Aelianus* Imperium in *Gallijs* inuaserant, & collecta ingenti rusticorum ac latronum manu nobilissimas prouincias igne ferroque vastabant. Eorundem nummi *Goltzio* laudantur *IMP. C. L. AELIANVS P. F. AVG. & IMP. C. CN. SAL. AMANDVS P. F. AVG.* Nec meliori forte *Romana res in Oriente* utebatur. Etenim *Perse*, quo



quo proximè acceperas à Caro, & Numeriano elades viciffcerentur, Romanos limites infestis agminibus irruperant, ac vniuersam penè Syriam in potestatem redegerant. Diocletianus, cum tot hostibus toto Romano orbe distantibus, vnà simul occurrere nequiret, M. Aurelium Valerium Maximianum imperij collegam adlegit. Hæc in fastis Idacianis leguntur: *Maximo II. & Aquilino. His Coss. leuatus est Maximianus senior die Kal. Aprilium.* Et quidem hoc An. 386. Maximianum imperium inisse probat vetusti lapidis inscriptio apud Panuinum A. V. C. 1045. & Gruterum pag. 166. in qua eisdem TR. P. VIII. cum X. Diocletiani componitur. At Kalendis Aprilis A. 286. latebatur Potestas Tribunitia secunda Diocletiani, qua die eandem primum Maximianus Herculus inquit. Inscriptionem producam cap. 4. Hinc corrigendus est error collectorum Cod. Iustiniani, qui in titulis legum emissarum Diocletiano II. & Aristobulo Coss. & Maximo II. & Aquilino ante Kal. Aprilis, scripserunt: *Imp. Diocletianus, & Maximianus AA.* cum id temporis vnus Diocletianus imperaret. Idem error irrepsit in titulos legum Septimij Seueri, cum quo semper Antoninus Augustus copulatur, cum tamen sexto demum anno imperij Seueri patris Antoninus Augusti dignitatem acceperit, vt patet ex inscriptione antiqua pagina MXX. 2. in qua prima potestas TR. Antonini Imperatoris cum VI. Seueri coniungitur. Cardinalis Baronius rectè obseruat Maximianum nedum Augustum creatum, verùm etiam consulem ordinarium in sequentem annum designatum: Hæc de Diocletiano scribit vir doctissimus A. 286. *Maximianum collegam allegat imperij, & in anni sequentis consulem pariter designauit, quod ex nummis antiquis constat, idem consulatus eius cum potestate tribunitia secundo aucta describitur, his videlicet verbis: IMP. MAXIMIANVS P. F. AVG. P. M. TR. P. II. COS. ut planè appareat Tribunitiam potestatem primam, que cum imperio conferri consuevit, ipsum consequutum fuisse anno ante PRIMVM consulatum ipsius, hoc ipso anno scilicet 286.* Hæc ille Mediceo Numismati conformiter, qui tamen anno 287. cum vulgari opinione Maximianum consulem II. obtrudit, vt potestas Tribunitia Maximiani Kal. Aprilis secundo aucta cum altero eiusdem consulatu iungatur.

Anno 287. Diocletianus tertium, Maximianus primum consulatum inire, vt ex epigraphe Medicei Numismatis apparet: *IMPP. DIOCLETIANO III. MAXIMIANO CCSS.* quem quidem consularem characterem contra vulgarem Panuini, Baronij, Goltzj, Caluissj, aliorumque sententiam tot tantisque eiusdem, non dicam ætatis, sed planè anni monumentis euincam, vt sanè sperem fore, vt imposterum vniuersi ab errore vulgari discedant, & consularium tabularum reparationem rarissimo huic Numismati acceptam ferant. Extat hæc inscriptio apud Panuinum lib. 2. fast. A. V. C. 1039. Gruterum pag. 283. vbi tamen pro Diocletiano, *Constantino* perperam legitur.

MAGNO. ET. INVICTO.  
IMP. CAES. C. VAL. AVREL.  
DIOCLETIANO. PIO. FEL.  
INVICTO. AVG. PONTIF. MAX.  
TRIB. POT. COS. III. P. P. PROCOS.  
D. N. CORPVS. CORIARIORVM.  
MAGNARIORVM. SOLAIARIORVM.

DE

DEDICATA KAL. IAN.

D. D. NN. DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO COSS.  
CVRANTE. THESIO. SECVNDO. P. C. CORIARIORVM.

Hoc inscripto marmore, non secus ac lydio lapide aurei Numismatis character, quo tertius Diocletiani consulatus cum priori Maximiano coniungitur evidentissimè demonstratur. Nummi ac lapides antiquitus inscripti, locupletissimi testes habendi sunt, cum nullius amanuensium erroribus obnoxij sint, sed priscae ætatis memorias ad seram posteritatem integra fide transmittant. Hoc ipsum patet ex pluribus rescriptis eodem anno 287. ab Imp. emissis *L. 2. de duobus reis. L. 18. de pactis. L. 1. ne uxor. L. 15. de administrat. tut. L. 7. de remissione pignoris. L. 3. de postliminio. L. 7. ad leg. Fabiam. L. 1. de abolit. L. 5. de patria potestate. L. 9. de distract. pignoris. L. 11. ad lect. Corneliam &c.* quæ omnia rescripta in subscriptione dicuntur data **DIOCLETIANO III. & MAXIMIANO COSS.** Quis autem non intelligat nummis, lapidibus, Principum rescriptis eodem characterè consulari signatis plenam fidem præstandam potius quàm ijs scriptoribus, qui post tredecim secula Romani imperij fastos digessere? Hæc tam perspicuis probationibus vim adhuc augent fasti antiquissimi, qui in libello de præfectis V, & fragmento Idaciano, item altero apud Bucherum pag. 249. denique in Chronico Alexandrino leguntur, in quibus omnibus anni eiusdem consules asseruntur **Diocletianus III. & Maximianus**. Anonymus apud Bucherum ait: *Diocletiano III. & Maximiano Sat.* nempe Kalendas Ianuarias iisdem consulibus in diem Saturni incidisse, qua certissima nota indicatur annus 287. Cyclo Solis XVI. Lunæ III. lit. E. quo anno Kal. Ianuarijs die Saturni atq; Augusti consules processere.

Panvinus hunc nummum profert: **IMP. MAXIMIANVS AVG. TR. P. II. COS. II. P. P.** cum verò Tribunitia potestas II. Maximiani incoeperit Kal. Aprilis A. 287. infert eundem ipso anno fuisse cos. II. quemadmodum in nummo exponitur. Verùm hinc gradum facio ad alterum laterculum consulum eiusdem Medicei Numismatis præsidio reparandum, in quo statuendo Baronius, Panvinus, Goltzius, Calvisius, ac ceteri inferioris notæ chronologi tot insignium virorum auctoritate decepti aberrarunt; siquidem anno 288. hos consules attribuunt: *Maximum, & Ianuarium*. Verùm fasti omnes antiqui quos superius laudabam, exhibent illius anni consules *Maximianum II. & Ianuarium*. Fasti Græci apud Scaligerum hoc par consulum produnt. **ΤΗ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΤ ΕΡΟΚΟΤΑΙΟΤ ΤΟ Β. καὶ ΙΑΝΟΤΑΡΙΟΤ.** *Consulatus Maximiani Herculijs II. & Ianuarij*. Anonymus editus à Buchero cap. 12. comment. in Victorij Aquitani canonem scribit: *Maximiano II. & Ianuario B. Sol.* Illa litera *B.* annum bissextilem significat, *Sol* verò Solis, seu Dominicum diem, in quem iisdem coss. incidere Kal. Ianuarij. Profectò annus 288. fuit intercalaris, ac Kalendæ Ianuariæ contigere die Solis, seu vt Christiani dicimus, die Dominico Cyclo Solis XVII. Lunæ IV. lit. A G. Hunc ipsum Maximiani consulatum II. euincunt nummus Mediceus, ac cetera antiquissima monumenta, quæ anno superiori Maximianum primum consulem exprimunt. Legitur

gitur itidem hoc A. 288. Maximianus cos. II. in fastis Prosperi editis ab eruditissimo Labbeo rom. 1. Biblioth. Gall. MS. Item & Cassiodori, qui tamen omnium sunt corruptissimi. Ex his patet nummum Panuini, in quo Maximianus dicitur TR. P. II. COS. II. cūsum esse à Kal. Ianuarij, cum id temporis Maximianus esset Cos. II. & Trib. Pot. II. vsque ad Aprilem, quo ineunte inchoauit Trib. pot. III. Errauit Ammianus Marcellinus initio lib. 23. scribens de Iuliani Augusti, & Sallustij consulatu: *Videbatur nouum adiunctum esse Augusto priuatum, quod post Diocletianum, & Aristobulum nullus meminerat gestum.* Nam tertio anno à Diocletiani, & Aristobuli consulatu Maximianus Augustus Ianuarium in trabea consulari collegam habuit. Itaque inanem operam ponit doctissimus Valesius, dum ex illis Ammiani Marcellini verbis Idatianos fastos conatur emendare, contra concordem veterum omnium fastorum sententiam. Ammianus vel memoria lapsus est, vel corruptas consulum tabulas legit. Certè idem lib. 16. arguit Constantium superbię, quòd nec in trabea socium priuatum adsciuerit, *sic fecere Principes consecrati.* Cum tamen Diocletianus, Galerius, Constantius, Maxentius, Licinius, ac Constantinus ipse, numquam collegam in consulatu priuatum hominem admiserint. Diocletianus, cum nollet se cum Carino hoste consulem designare, Aristobulum ab alio nuncupatum, in trabeę societatem vocauit. Reliquos verò octo consulatus cum Augusto, vel Cæsaribus gessit, vt idem potius, quam Constantius arguendus videatur.

Hęc fusiùs deduxi, vt consularis Medicei Numismatis character integrę prorsus fidei ostenderetur, eiusque præsidio duo consulum laterculi celeberrimis scriptoribus deprauati, suę tandem integritati restituerentur. Hinc studiosi quique fastorum plurimas gratias debent, ipse certè maximas ago, eruditę Serenissimi LEOPOLDI Cardinalis industrię, dum insigniora antiquitatis cimelia regijs planè sumptibus comparata, suam in gazam inferens, eas ad Romanam historiam illustrandam opes suppeditat, quas literati, curę vt plurimum supellectilis homines, suis nunquam viribus assequerentur. Itaque eiusdem rarissimi Numismatis beneficio mirabiles illos Panuini fastos sic emendamus.

**FASTI PANVINI EX NUMMO MEDICEO CORRECTI**  
**DIOCLETIANO III.** Anno V. C. 1040. **DIOCLETIANO III.**  
**MAXIMIANO II.** Christi 287. **MAXIMIANO.**  
**MAXIMO ET V. C. 1041. MAXIMIANO II. ET**  
**IANVARIO. CHRISTI 288. IANVARIO,**

In annis etiam vrbs idem Panuius errauit. Nam cum epocham Dionysianam vno anno citiùs inchoauerit: nempe anno ab V. C. 752. vt anno Christi 284. in quo Diocletianę Imperij initium figendum esse certissimis characteribus nouerat, Christianam Æram rectè collocaret, vnum Imperij annum Probo abstulit, ac par consulum Probi, & Paulini ex consulibus ordinarijs expunxit, ac inter suffectos recensuit. Hinc ab anno V. C. 1030. in digerendis annis Romanę vrbs, vnus semper anni metachronismum peccat; quare consulatum Diocletiani III. & Maximiani recitat A. V. C. 1039. At Probum, & Paulinum fuisse consules ordinarios præter antiquos fastos,

C

cui.

evidenter probat rescriptum ipsius Probi Imperatoris L. 2. *de reuocat. donat.* lib. 8. Cod. Iust. *Proposita III. Non Maij Sirmij Probo A. & Paullino Goss.* Soli autem consules ordinarij legibus subscribebantur. Hac occasione, veniam dabit Lector, non possum omittere palmarem errorem nuperi Reformatoris Chronologiae, qui tom. 1. lib. 4. cap. 3. propè finem de Panuino hæc habet: *Ab Vlpio, & Pontiano exclusiue ad Tyberianum, & Dionem inclusiue, debent poni anni 53. ille autem ponit 52. ommittens Licinium Valerianum, & Maximum.* Hæc scribens nec Panuini fastos legit, & suorum planè oblitus fuit. Etenim magnus noster Chronologus Probum, & Paulinum omisit, non verò *Licinium Valerianum, & Maximum*, qui sanè in nullis omnino antiquis fastis inueniuntur, nec apud tabulas consulares ipsiusmet Reformatoris, quas tom. 1. pag. 169. concinnat, & iterum repetit tom. 3. pag. 45. in illis enim ab anno 238. quo Vlpius, & Pontianus consulatum gessere, vsque ad annum 291. nusquam *Licinius Valerianus, & Maximus* consules leguntur. Baronius illud par consulum excogitauit A. 256. Licuit fortasse Reformatori quoque chronologiae novos consules pro arbitrio fastis inferere, vt assumpti nominis potestatem ostentaret.

#### C A P V T IV.

*Quadrigas vrlumphales in nummo signatus non exprimere triumphum ab Imperatoribus peractum, Designare eorundem victorias Persicas ac Germanicas. Consulatus Maximiani in Numismate positus antiquo Oratori commendatus. Carausius novus in Britannia Augustus. Eiusdem rarissimus Nummus è Medicea Gaze producitur. Panuinus immeritò à Triflano reprehensus.*

**C**onsulari Numismatis charactere omnium priscae ætatis monumentorum consensu contra vulgarem chronologorum sententiam comprobato, gradum facio ad explicandas quadrigas, quæ in auersa Numismatis parte videntur. In primis mihi compertum est non designari triumphum à Diocletiano, & Maximiano peractum. Nam licet ijdem Augusti innumeris hostium copijs profligatis, plura toto penè Orbe trophæa erexerint, nouis subinde bellis impliciti, triumphum in postrema imperij quod abdicarunt, tempora distulere. Mamertinus in panegyrico die natali Maximiani dicto cap. 4. vtrumque Imperatorem alloquens ait: *Hos fructus capitis operum maximorum; sic interim meritoria conscientia triumphatis, dum TRIVMPHOS ipsos semper vincendo DIFFERTIS, quod quæcumque pulcherrime facitis, continuò transitis, & ad maiora properatis.* Hanc orationem recitauit A. 291. exacto quinquennio imperij Maximiani, vt in procemio testatur. Fortasse habita est oratio XII. Kal. Augusti; hæc enim dies in actis S. Marcelli Centurionis sub iisdem Principibus passis, dicitur natalis Imperatoris apud Surium 31. Octobris. Verùm cum æquè intelligi possit dies natalis Diocletiani, rem in medio relinquo. Sufficiat alterutrius natalem ibidem designari, quod nemini hucusque obseruatum fuit. Idem Mamertinus in panegyri die natali vrbis recitato cap. 13. Romam alloquens ait: *Hic cum primum redeant ad te triumphantes, uno cupiunt inuehi curru, simul adire Capitolium, simul habitare palatium.* Dicta est hæc oratio coram Maximiano A. 289. die 21. Aprilis, vt postea ostendam. Itaque  
ijdem

ijdem Imperatores A. 187. Nummi sculptus est; nullum adhuc triumphum Romæ egerant. Eutropius elegantiſſimus ſcriptor in fine lib. 9. ſcribit utrumque Auguſtum prius habitu imperij inſigne mutaffe poſt triumphum inclutum, quem Romæ ex numeroſis gentibus egerant, pompa ſerculorum illuſtri, qua Natiſei coniuges ſororesque, & liberi ante carrum ducti ſunt. Henricus Valeſſus eximie eruditionis vir, in notis ad cap. 23. lib. 8. Eusebij pluribus ostendit hunc triumphum gestum fuisse anno 302. Nec ipse quicquam noueam in rem addere possum, cum ab accuratissimo ſcriptore meliora occupata ſint. Hunc triumphum laudat Anonymus Panegyriſtes in epithalamio coram Maximiano, & Conſtantino recinato, ubi cap. 8. ſeniores Auguſtum alloquens ait: *Te PRIMO INGRESSU tuo tanta letitia, tanta frequentia populus excepit, ut cum te ad Capitolini Iouis gremium vel oculis ſerra geſtires, ſtipatione ſui vix ad portas urbis admitteret.* Itaque Maximianus anno imperij XVI. Romam primùm venit, de ſubactis hoſtibus triumphaturus, ac proinde nullus eiſdem nec collega geſtus triumphus in Numismate deſignatur.

Auguſti deſictis hoſtibus laureatas ſtatim literas Romam mittebant, quibus à P. C. perlectis, triumphus eiſdem S. C. decernebatur, cuiſus etiam in perenne datati honoris monumentum Numismatibus. Gordianus Perſas ab ſe victos Senatu per literas ſignificauit, quibus, inquit Capitolinus cap. 27. *in Senatu lectis, quadrigæ elephantorū Gordiano decrete ſunt, utpote qui Perſas vi-ciſet.* Et quidem certum eſt quadrigas in nummis non ſemel ſignificare triumphos non ab Auguſtis Romæ actos, ſed eiſdem à Senatu decretos. Extant in Cimeliarchio Mediceo nummi cum quadrigis triumphalibus tum Macrini, tum Maximini; Illius cum hac inſcriptione IMP. CAES. M. OPEL. MACRINVS. AVG. P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. S. C. huius verò cum epigraphe: IMP. MAXIMINVS. PIVS AVG. P. MAX. TR. P. II. COS. P. P. S. C. ubi victoria utrumque coronans inſpicitur. At nec Macrinus de Parthis, nec Maximinus de Germanis Romæ triumpharunt, cum vterque antequam in urbem veniret, militum ſeditione vitam cum imperio amiſerit.

Ceterum cum triumphales quadrigæ niſi poſt debellatos hoſtes decretae fuerint, inueſtiganda ſunt victoriae Diocletiano, & Maximiano partæ, ob quas in nummo A. 287. percuſſo, curruſ triumphalis eiſdem S. C. decretus fuerit. Diocletianus victo in ſuperiori Myſia A. 285. Carino, ſtatim contra proximos Germaniæ populos, qui Carino ſuppeticas tulerant, mouit, eoſque ingenti clade affecit. Interim etiam per legatos rem feliciter in Britannia geſſit; unde à Senatu Britannicus, ac Germanicus appellatus fuit, delatis triumphi inſignibus. Hæc nulla ſcriptorum volumina produnt; colliguntur tamen ex hoc antiquo lapide à Baronio laudato A. 285.

IMP. CAES. C. VALERIO.

DIOCLETIANO. PIO.

FELICI INVICTO. AVG.

PONT. MAX. BRITANNIC.

MAX. GERM. MAX. TRIB.

POTEST. II. COS. II. P. P.

PRO COS.

C 2

HO-

## HONORATI. ET DECVRIONES ET NVMERVS. MILITVM, CALIGATORVM.

Posita est hæc inscriptio ante XVII. Kal. Octobris A. 286. illa enim die terminabat potestatem Trib. II. At Germanos ab eodem victos anno 285. quo Carinum profligauit, pater ex eiusdem L. 6. *de fide instrumenti. Dat. Nicomedia XIII. Kal. Februarias Maximo II. & Aquilino Coss.* nempe A. 286. ex quo rescripto colligo Maximianum eodem anno Kal. Aprilis Augustum renunciatum à Diocletiano Nicomediæ in hibernis morante, ac bellum aduersus Persas ibidem adornante.

Maximianus nouus Augustus cum parte legionum, atque auxiliariis copijs in Gallias contra Ælium, & Amandum, qui ibidem imperium occupauerant, profectus vtrumque tyrannum vno ferè impetu oppressit, ac ciuile bellum, occisis seditionum authoribus, pari celeritate ac felicitate confecit. Ita intra paucos dies Galliæ in libertatem assertæ, atque ad obsequium reuocatæ. Hanc Maximiani victoriam paucis perstringit Orator in epithalamio cap. 8. *Hic est*, inquit de eodem, *qui in IPSO ORTV Numinis sui Gallias priorum temporum iniurijs efferatas, Reipublicæ ad obsequium reddidit, sibi ipsas ad salutem.* Mamertinus etiam in panegyrico dicto Maximiano ipsis parilibus *Vrbis* cap. 4. memoratam victoriam cursim celebrans ait: *An non illud malum, simile monstrorum biformium (Ælium & Amandum intelligit) in hisce terris fuit, quod tua Caesar nescio vtrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum, cum militares habitus ignari agricola appetuerunt: cum arator peditum: cum hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est? quod ego cursim præter eo, video enim te (qua pietate es) obliuionem illius victoria malle quàm gloriam. Bellum enim ciuile fuit ab imperita rusticorum quos Bagaudas dixere, multitudine ducibus Æliano, & Amando conflatum. Carausius egregiam hoc in bello operam Maximiano nauauit. Scribit Victor Schotti: Quo bello Carausius Britannia cuius factis promptioribus enituit: eoque cum simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ classis, ac propulsandis Germanis maria infestantibus, præfecere. Ex quibus patet errare Caluissium & Alfordum qui Carausij rebellionem hoc anno 286. recentent, cum id temporis Carausius in castris Maximiani summa cum laude militauerit, & in partem victoriæ venerit, ac postea adornandæ classi incubuerit. Germani cum Romanos ciuili bello occupatos viderent, superato Rheno in proximiora Galliarum oppida impetum facientes, omnia igne ferroque vastabant. Maximianus militem recenti contra tyrannos victoria ferocem contra barbaros mouit, ac diuisis copijs, eodem tempore diuersis in locis prædas agentes aggressus, vniuersos partim fame confecit, partim aperto Marte prostrauit. Audiatur Mamertinus cap. 5. *Quod statim vix dum misero illo furare sopito (nempe ciuili bello cum rusticis) cum omnes Barbaræ nationes exitium vniuersæ Gallia minarentur, neque solum Burgundiones, & Alamanii, sed etiam Chabrones, Erulique viribus primi Barbarorum, locis ultimi, præcipiti impetu in has provincias irruissent, quis Deus tam insperatam salutem nobis attulisset, nisi tu affuisses?* Pluribus Maximiani victorias describit. Itaque A. 286. Ælianus, & Amandus, dein Germani*



mani qui in Gallias irruerant, à Maximiano victi sunt.

Dum hæc in Gallijs geruntur, Diocletianus cum ingenti exercitu è Bithynia discedens, in Persas mouit, ac bellum de proximo ostentans, tantum Persarum Regi terrorem incussit, vt is abductis propere è Syria præsidijs, non modò eandem aduentanti Imperatori vtrò cesserit, verùm etiam missa cum muneribus legatione, pacem supplex rogauerit. Diocletianus Antiochia, alijsque vrbibus incruenta victoria potitus, recenti terrore vtendum ratus, bellum vndique vrgebat, quo metum hostium intenderet. Antiquus Panegyristes victorias Diocletiano nullo suorum cruore, Maximiano verò cum ingenti hostum clade partas describens, ducta similitudine à Ioue, & ab Hercule, quorum agnomina iisdem Augusti per summam ambitionem assumptæ, hæc inquit cap. 7. *Credo itidem optimam illam, fertilemque; Syriam velut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano sponte se dederent regna Persarum. Verùm hoc Iouis sui more nutu illo patrio, quo omnia contremiscunt, & maiestatis vestri nominis consecutus est. Tu autem, Imperator inuicte, feras illas indomitasque gentes vastatione, prælijs, cadibus, ferro, ignique domuisti. Has inter victorias hyems clausit annum 286.*

Diocletianus tertium, Maximianus primùm consules insequentem annum 287. aperuere, vt ex epigraphe Numismatis apparet; IMPP. DIOCLETIANO III. MAXIMIANO COSS. Et quidem Maximianus, cum ipsis Kalendis Ianuarij palmatam induisset, insigni de barbaris victoria reportata, primum sui consulatus diem felicissimè auspicatus est. Hæc fusiùs prosequitur Mamertinus cap. 6. quæ cum maximè illustrent eiusdem Augusti consulatum in Numismate expressum, operæ prætium duxi eadem hic recitare. *Transco, inquit, innumerabiles tuas tota Gallia pugnas, atque victorias, quæ enim tot tantisque rebus sufficiat oratio? Illum tamen primum consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum, quo tu solus omnium consecutus es, vt quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primum sufficere potuerit per agendis, unoque sol curricula suo, eoque breuissimo, & officia te Consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem. Postea: Vidimus te, Caesar, eodem die & in clarissimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bona venia Deum dixerim, ne Iuppiter quidem tanta ipse celeritate faciem cæli sui variat, quàm facile tu, Imperator, togam prætextam sumpto thorace mutaſti, hastamposito scipione rapuisti, à tribunali temerè in campum, à curuli in equum transtulisti, & rursus ex acie cum triumpho rediisti, æsamque hanc Urbem repentina tua in hostes eruptione sollicitam letitia, & exultatione, & aras flagrantibus sacrificijs & odoribus accensis Numini tuo impleſti. Ita utroque illius diei supremo tempore bis diuina res pari religione celebrata est, Ioui, dum profuturis vocetur, tibi, dum pro victoria soluitur. Maximianus Treuiris vrbe metropoli Galliarum, ac Imperatorum domicilio hiemabat, cumque Rhenus gelu conſtitisset, Germani populabundis agminibus in Gallias effusi, Treuiros vsquè peruenerant, quos Maximianus ipsi Kal. Ianuarijs repentina eruptione aggressus, ingenti clade affectos, præcul à mœnibus propulsauit. Postea appetente vere, Erulos, Chaibones, aliosque Germaniæ populos suis in sedibus aggressurus, Carausium maritimæ classi præfecit, vt hostes terra marique simul opprimeret. Audiatur iterum idem Orator cap. 7. Tale igitur, inquit, auspicium illius anni quid sequebatur, nisi nouum aliquod, & ingens miraculum?*

Quod

*Quod autem maius euenire potuit illa tua in Germaniam transgressione ? Itaque Maximianus Rheno superato, pluribus praelijs hoste ubique profligato, victorices aquilas per Germaniam latè circumtulit, ac in Transthenanis prouincijs Romani imperij limites fixit. Carausius qui classi præerat, priuatæ potius quàm publicæ rei curam gerens, piratas prædas tota maritima Gallia agere sinebat, ut spolijs onustos in reditu interciperet, atque ea se occasione ditaret. Neque enim prædam vel in ærarium intulit, neque prouincialibus restituit. Hinc cum intelligeret se in affectati imperij suspicionem venisse, ac successore missio, necem sibi à Maximiano destinatam, cum classiarijs deficiens, in Britanniam transmisit, ac occupata legione, imperium cum Augusti titulo anno eodem 287. cepessuit.*

Cum Maximianus anno etiam 288. iterum consulatum inierit, victoriam illam, quam ipsis Kalendis Ianuarij, teste Oratore, consecutus fuit, primo eiusdem consulatui in Numismate designato, adscripsi, quod anno 288. idem Imperator Germanica expeditione intermissa, ædificandæ classi incubuerit, ut nouum imperij æmulum nauilibus copijs instructum, è Britannia expelleret. Idem Panegyristes cap. 12. *toto ferè anno naues ædificatas* scribit. Dio- cletianus recepta Syria, ac plurimis Persarum oppidis in deditiōem acceptis, bellum impigrè vrgebat. Verùm audita Carausij rebellionē, pace cum Persis composita, in Europam se contulit, cum Maximiano de bello contra nouum Imperatorem administrando consulturus. Vtriusque Augusti colloquium laudat Mamertinus cap. 7. *in quo*, inquit, *vobis mutua præbuisstis omnium exempla virtutum, atque inuicem vos (quod fieri iam posse non videbatur) auxistis: ille tibi ostendendo dona Persica, tu illi spolia Germanica.* Liuienius in notis scribit hoc Imperatorum colloquium contigisse Mediolani, ut idem Mamertinus testatur in Genethliaco Maximiani. Verùm congressus Mediolanensis contigit anno 291. desinente primo Maximiani quinquennio, ut in proœmio Genethliaci idem exponit. Hic verò congressus contigit, antequam iidem Augusti expeditionem maritimam contra Carausium imperij æmulum susciperent, ut ex cap. 12. constat: *Quid nunc, inquit, animi habet ille pirata (Carausium notat) cum fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remoratus est, penè vestros exercitus videat ingresses ?* Et postea his orationem concludit: *Facile itaque quicuis intelligit, Imperator, quam prosperæ successus in re maritima secuturi sint, cum iam sic tempestatum opportunitas obsequatur.* Habita est hæc oratio die 21. Aprilis natali vrbis A. 289. cum Maximianus classem contra Carausium totis Germaniæ, ac Galliæ fluuijs educeret. At Carausius bello nauali superior, Maximiani classe partim capta, partim aduersa tempestate disiecta, pacem cum Britannia imperio, & Augusti titulo obtinuit: Scribit Eutropius lib. 9. *Cum Carausio tamen, cum bella frustra tentata essent, contra virum rei militaris peritissimum, ad extremum pax conuenit.* Idem ex hoc singulari Serenissimi Magni Etruriæ DVCLIS nummo colligitur.





23

In nummis Occonis, Tristani, Patini, aliorumque legitur PAX AVG. ubi vnus Carausius indicatur; at in Mediceo Numismate illis notis AVGGG. Diocletianus, Maximianus, ac Carausius Imperatores designantur.

Ex his colligimus triumphales Diocletiani, & Maximiani quadrigas in Mediceo Numismate scalptas, designare eorundem Principum victorias ante annum 288. Germanico, ac Persico bello reportatas; vnde & in antiquis inscriptionibus iidem *Germanici*, ac *Persici* nuncupantur. Recitantur à Grutero pag. 166.

IMP. CAES. C. AVREL. VALER. DIOCLETIANVS.  
SARM. MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. X.  
IMP. CAES. M. AVREL. VALER. MAXIMIANVS.  
GERM. MAX. PERSIC. MAX. PONT. TR. POT. IIX. COS..  
IMP. VIII.  
FL. VALERIVS. CONSTANTIVS. ET. GALERIVS. VALERIVS.  
NOBB. CAESARES. MYRVM....

*Altera.*

IMP. CAES. C. AVR. VAL. DIOCLETIANVS. AVG. PONT. MAX.  
SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. X. COS. V. P. P. ET  
IMP. CAES. M. AVR. VAL. MAXIMIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR.  
MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X. IMP. VIII. COS. IV. P. P. ET IMPP.  
FL. VAL. CONSTANTIVS. ET GAL. VAL. MAXIMIANVS. FILII.  
CAESS. MYRVM. VITVDVRENSEM. A SOLO. INSTAVRARVNT.  
CVR. AVRELIO. PROCVLO. V. C. PROV. MAX. SEQ.

Prior inscriptio posita est intra XV. Kal. Octobris A. 293. & Kal. Aprilis A. 294. quo tempore Diocletianus gerebat Pot. Trib. X. primò initam die 17. Sept. A. 284. Maximianus verò IIX. inchoatam A. 286. Kal. Aprilis. Altera inscriptio incisa est à Kal. Aprilis A. 295. ad XV. Kal. Octobris eiusdem anni, quò sanè tempore erat Diocletianus Trib. Pot. XI. Maximianus X. Trifanus tomo 3. pag. 366. nummum Maximiani profert cum epigraphe P. M. TR. P. VIII. COS. IV. P. P. ex quo, inquit, intelligimus Maximianum *anno imperij octavo consulem IV. fuisse, quod Onuphrium ac ceteros fugit*. Hic censor Onuphrij fastos non legit, qui in tabulis consularibus lib. 2. hæc grandioribus characteribus scribit: IMP. CAES. MAXIMIANVS P. F. AVG. TR. POT. VII. VIII. COS. IV. P. P. Rectè cum quarto consulatu Maximiani A. 293. iunxit Tr. Pot. VII. vsque ad Aprilem, inde verò VIII. vt nullus sit reprehensioni locus.

Quamvis Maximianus nunquam contra Persas pugnauit, *Persici* tamen nomen ex collegæ Diocletiani victorijs obtinuit; solemne enim Augustis fuit victoriarum titulos cum imperij collegis participare, licèt iidem vel Romæ, vel alibi procul à belli periculis degerint. Ita M. Aurelius in Nummis Armeniacus, & Parthicus appellatur; cum tamen Verus Augustus Aurelij Antonini collega bellum cum hostibus gesserit. Peculiarè autem Antonini modestiæ Capitolinus deputat cap. 12. quòd post mortem Veri, hunc tantum *Particum*, *Germanicum* se vocaret, quod sibi bello proprio pepererat.

C A.

*Numisma Medicum esse consulare. Eidem simillimus Maxentij Nummus ex Cimelijs CHRISTINÆ Augustæ profertur atque explicatur. Maxentij consulatus apud Panuinum, & alios confusi suo ordine digeruntur. Processus consulares ex Imperatorum rescriptis, ac antiquis scriptoribus illustrantur. Consules ad edendos ludos curru triumphali vectos processisse aduersus Schefferum ostenditur. Chimentelli sententia de sella curuli in curru triumphali reiecta.*

**R**omani Principes, cum ceteros magistratus ciuibus capeffendos reliquissent, consulatum tamen ordinarium passim inibant, vt annum in fastis denominarent, suoque nomine omnia implerent. Egregiè hæc describit Libanius in panegyrico Iuliani. *Quid venerabilius, inquit, esse potest, quam vniuersum Orbem terrarum Solis instar appellatione continere, & in ore cunctorum hominum esse nomen à parentibus inditum, cuius memoria multas complectatur necessitates, iudicia, nuptias, forum, portus, debita, venditiones, contrahentes, paciscentes, litigantes, fidem per literas facientes, communicantes, dissidentes, filiorum opulentiarum natales, puerorum in scholis institutiones, quorum vnum studium est nominare consules; in quo etiam & acquiescunt. Quod igitur quidem dixit de loue omnium summo Consule, louis vias omnes esse plenas, omnia fora, portus, maria, hoc aliquis dicere possit de Consulibus, qui appellationem cum Deo communem habent. Et concludit: Imperator ab illo dignitatis cumulo non minus ubique celebratur. Hinc plerique Principes tanta aperiendi in fastis anni ambitione tenebantur, vt Octavianus Augustus A. V. C. 720. cum Kalendis Ianuarijs mane pro æde Iouis Capitolini in sella curuli præsedisset, intra paucas horas magistratum abdicauerit. Caius tertium consulatum septem, quartum tredecim diebus gessit. Noui etiam Imperatores ineunte anno, consulatum statim vsurpabant, vno Traiano excepto; quare idem à Plinio in panegyri laudatur: *Hoc ergo, inquit, honore quem, & incipientes Principes, & desinentes a deo concupiscunt vt auferant, te ocioso ac vacante priuatis cessisti.* Quo verò gesti, vel saltem deflorati magistratus memoria ad seros quosque posteros deueniret, Numismata cudebantur, in quibus consulis effigies cum notis consulatus exprimebatur. Hi Nummi consulares appellantur. Laudantur id genus Numismata passim ab antiquarijs. Apud Occonem Diocletiani Nummus inscribitur in auersa parte: **CONSVL IV. P. P.** Item alter Maximiani in parte postica signatus: **CONSVL AVGG. NN.** *Consules Augusti Nostri.* In alijs maioribus Nummis ipse Consul processus exprimitur, cuius generis duos indicat vir Cl. Spanhemius dissert. 8. de vsu, & præstantia Numis. pag. 705. Vnum quidem Constantini Magni cum inscriptione: **FELIX PROCESSVS COS. VI. AVG.** Alterum Maxentij inscriptum: **FEL. PROCES. CONSVLAT. AVG. N.** quem cum intellexissem seruari in Cimeliarchio CHRISTINÆ Augustæ, eiusdem ætypum per literas impetratum subijcio.*



Hic consulatus Imp. Maxentij cum quadrigis Elephantorum, ac Victoria coronam Principi offerente conspicitur, quæ omnia in Mediceo etiam Numismate exprimuntur. Panvinus quatuor Maxentij consulatus ponit præcunte scriptore vitæ S. Marcelli Papæ, & omnes quidem suffectos: primum à Kalend... A. 306. secundum A. 307. à Kalend. Iulij, tertium VII. Kal. Maij An. 308. modò Maximinum, modò Romulum eidem collegas assignans; quartum verò statuit anno 309. Goltzius de more ad verbum eadem ex nostro scriptore suis fastis inseruit, vti etiam Caluissius. Baronius quartum Maxentij consulatum alligat eidem A. 309. Cuspinianus cum in deprauatam codicem libelli de præfectis vrbis incidisset, vnicum tantum Maxentij consulatum expiscari potuit. Ceterum ex libello eodem ex nitidiori codice à Bucherio exscripto, ac publicato, itemque ex fastis Idacianis quatuor consulatus Maxentij suis quosque annis designatos accepimus. Occiso Seuero, ac Galerio ab Italia pulso, Maxentius eiusque filius Romulus A. 308. consulatum ordinarium inierunt. Anno 309. iidem consules in Vrbe processere. Extat nummi inscriptio apud Baronium A. 309. IMP. C. MAXENTIVS P. F. AVG. CONS. II. Tertium consulatum solus gessit A. 310. Vnde infero Romulum Cæsarem, quem Pater inter Diuos retulit, anno superiori diem obiisse. Visitur nummus mediocris magnitudinis in scrinijs Serenissimi Card. LEOPOLDI inscriptus: DIVO ROMVLO NVBIS. CONS. *Nobilissimo Consuli*; ex quo patet eundem mortuum, & consecratum fuisse in suo altero consulatu. Quartum denique consulatum Maxentius gessit A. 312. quo vitam cum imperio amisit. In alijs vero Romani imperij prouincijs Augusti Maxentij hostes, consulatus iisdem annis iniere, vt ex fastis intelligitur.

Quadrigæ in laudato nummo Inclytæ Reginæ non designant triumphum Maxentij de Alexandro. Etenim anno tantum 310. Alexander victus fuit à Maxentij ducibus, vt fusiùs ostendam lib. 1. historiæ Donatistarum & patet ex nummis Græcis quos laudat Goltzius cum epigraphe: ΑΤΤ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΕΤC. ΕΤΤ. L. A. alius L. B. alius L. Γ. postremus L. Δ. *Imperator Cæsar Alexander Pius Felix Augustus. Anno primo; anno secundo; anno tertio; tandem anno quarto.* Itaque Alexander A. 307. cum fugato ab Italia Galerio, Maxentius Africam in potestatem redigere conaretur, purpuram induit, quam tamen anno 310. quarto tyrannidis inchoato occisus amisit. Cum verò in Numismate Augustæ legatur FEL. PROCESSVS CONSVL. AVG. N. nulla addita nota numerali, prior Maxentij consulatus designatur, quem A. 308. ex ante diem XII. Kal. Maias cum Romulo capeffuit. Certè in nummo Constantini consulatus eiusdem VI. exprimitur (aliam tamen interpretationem subijciam) quod etiam in omnibus consulatibus Augustorum in nummis obfignatis, apparet. Itaque biennio ante debellatum Alexandrum, regium Numismasculptum fuit. Maxentius plures victorias, antequam classem in Africam mitteret, obtinuerat contra Seuerum, Galerum, & patrem Herculium, vt patet ex panegyrico Constantino dicto post cædem Maxentij cap. 3. In agro nostro Veronensi apud Cotiniolam hoc epigramma legitur.

IMP. GAESARI. M. AVRELIO.  
VALERIO. MAXENTIO. PIO.  
FELICI. INVICTO. AVGVSTO.  
IMP. XI.

D

Ticu-

Titulus ille Imperatoris toties iteratus, plures eiusdem victorias indicat. Hinc ob easdem quadrigæ Elephantorum Maxentio S. C. decerni potuere. Nec obstat eundem bello civili aduersus Socerum, ac Patrem victorem euasisse; nam cum Senatus post Maximini Augusti cædem cogeretur. Cuspidius à P. C. sententiam rogatus dixit: *Victoria causa principibus nostris Maximo, Balbino, & Gordiano statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus, trophæa decernimus.* Quòd tamen bello civili victores euaserant, nullum Romæ triumphum egerunt. Extat in gaza Magni Ducis Numisma æreum maioris magnitudinis exprimens Hadrianum in quadrigis elephantorum cum inscriptione AVT. KAIC. TPAIAN. AΔPIANOS CEB. L. IZ. Patet nummum sculptum fuisse anno imperij eiusdem XVII. Certè Hadrianus nullum triumphum gessit. Hinc honoris tantum gratia quadrigæ elephantorum Hadriano à Græca vrbe decretæ sunt. Ita OPVS QVADRIGÆ CVM EFFIGIE IMP. HADRIANI ab Itala vrbe dicatum, laudatur in antiquis inscriptionibus pag. 444.

Ego tamen puto non triumphum, sed processum consularem Maxentij in regio Numismate obsignari. Huius consulatus mentionem facit antiquus auctor libelli de Præfectis: *Consules, inquit, quos iusserint DD. NN. Augusti.* Quare A. 308. Kal. Ianuarij ob ciuilia bella inter Maxentium, & collegas Augustos, nulli consules ordinarij magistratum iniere. Postea: *Ex XII. (Cuspidianus VII. legit) Kalend. Maij factum est Maxentio, & Romulo, quod est Diocletiano decies, & Maximiano septies.* Scaliger in notis Eusebianis Num. 2320. ex hoc decimo Diocletiani consulatu putauit nondum eo anno Diocletianum purpuram exuisse, pleni quadriennij metachronismo. Galerius Maximianus quo deuoti animi obsequium erga Diocletianum à quo ad imperium euectus fuerat, testatum faceret, eundem quamuis priuatum vnà secum consulem designauit. Hinc Orator in panegyrico A. 310. dicto Constantino post mortem Herculei de Diocletiano loquens ait: *Felix beatusque uerè quem uestra tantorum principum colunt obsequia priuatum.* Consules cum ad magistratus insignia accipienda, vel ad ludos pro delatis trabeis de more edendos prodibant, vulgò procedere dicebantur, eaque pompa processus nomine indicabatur. Plutarchus in Galba *Erat etiam, inquit, Liuiæ uxoris Cesaris genere coniunctus: Itaque opera Liuiæ ex palatio* CONSVL. PROCESSIT. Græcè: ὑπατος ἐκ παλατίου προῆλθεν. Lampridius in Elagabalo cap. 15. *Denique, ait, Kal. Ianuarijs quum simul designati essent consules, noluit cum consobрино PROCEDERE.* Auctor Chronici Alexandrini de Diocletiano scribit: Καλανδαίς Ιανουαρίαις προῆλθεν ὑπατος. Rectè interpret: *Kalendis Ianuarijs consul processit.* In fastis Idatianis A. 385. *Occisus est Carinus Margo qui ipso anno cum Aristobulo* CONSVL. PROCESSERAT. In actis SS. Martyrum Ioannis, & Pauli apud Surium die 26. Iunij: *Cum autem Gallicanus uellet priuatus obscedere, rogatus ab Augustis* CONSVL. PROCESSIT. Hac eadem phrasi utpotè vulgari, poetæ etiam vsi sunt in nouorum consulum pompa designanda. Claudianus in fine panegyrici ad Manlium consulem ait.

*Consul per populos, idemque grauisissimus author  
Eloquij, duplici uita subnixus in æuum,  
PROCEDAT, pariter libris fastisque legendus.*

Corippus lib. 4. de laudibus Iustini secundi, describens consularem pompam

pam qua idem Kal. Ianuarijs in publicum exijt, hæc canit.

*Consulis aduentum summa tardantis in aula*

*Exspectant, pendentque moras, causasque morarum*

*Inquirunt, oculosque omnes ad regia tollunt*

*Limina, PROCESSVMQVE AVGVSTI consulis optant.*

Extat in Cod. Iust. L. 2. de Consulibus hoc rescriptum Marciani Augusti: *Cessante ergo ista spargendi civitate, amplissimi CONSVLES PROCEDENTES deinceps abstineant hoc errore perdendi.* Rursus Leg. 4. Zeno concedit Consulibus **PROCEDENDI** legitimam facultatem. Verum his omnibus luculentior est Nouella Iustiniani 105. in qua non solum processus consulum leguntur, verum etiam eorundem numerus lata lege statuitur, ne per ambitionem, aut popularis auræ captandæ gratia, patrimonia profusis largitionibus à nouis consulibus absumantur. Hæc sancit Imperator: *Erit PROCESSVS primus quo suscipit consulatum, & huiusmodi possidet codicillos Kalendis Ianuarijs.* Dein sex alios processus consulibus permittit. Nempe ut iterum procedant in Circum ad edenda equorum certamina. Tertio ad exhibendam venationem ludicram, qua animali herbatica à populo diripiebantur. Quarto ad amphitheatrum, ubi homines cum feris depugnabant. Id genus spectaculi *pancarpum* dixere, ut rectè notat Cassianus collat. 5. cap. 14. Quinto prodibant ad dando ludos scenicos. Sexto iterum ad edendos Circenses. Postremus processus erat cum magistratu exhibant. Et concludit: *ita septem noctium, & processuum completur cursus.* Hos processus Consulum egregiè describit Claudianus proximè laudatus, & Panuinus lib. 1. de ludis Circensibus. Certum est Imperatores, Consules, Prætores, aliosque editores munerum curru vectos cum ad exhibendos ludos procederent. In tabulis magni Panuini eiusque commentarijs hoc omissum fuit, uti constat ex lib. 2. cap. 2. ubi pompam Circensium describens, videtur velle editores ludorum pedites cum reliquis magistratibus in Circum perrexisse. At eosdem curru vectos disertè tradit Iuuenalis Sat. 10. V. 34.

*Quid si vidisset Prætorcm in curribus aliis*

*Extantem, & medio sublimem in pulvere Circi,*

*In tunica lous & pictæ Sarrana ferentem*

*Ex humeris aulae a togæ &c.*

Cum sub initium imperij Tiberij Cæsaris Tribuni plebis petijissent, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti, cuius honori destinabantur, Augustales nuncuparentur, scribit Tacitus lib. 1. Annal. id eisdem permissum, sed *decreta pecunia ex arario, utque per Circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum.* Nempè ne eo honore summis magistratibus æquarentur. Porro inter spectacula in Mœnians in sella curuli editores ludorum sedisse eruditè ostendit Chimentellus in præclaro opere de Bisellio cap. 12. Suetonius in Augusto cap. 43. *Commissione*, inquit, *ludorum quibus theatrum Marcelli dedicabat, euenit, ut laxatis sellæ curulis compagibus, caderet supinus.* Sella curulis adeo erat propria editorum Circensium, ut teste Dione lib. 44. Cæsari S. C. datum fuerit *ut semper curuli sella sederet, exceptis ludis; tum enim sessio ei in Tribunatio subsellio cum ijs qui quo tempore Tribunatum plebis gererent, concedebatur.* Finitis ludis, editores munerum eodem curru iterum per Circum

D 2

proce-

procedebant. Hæc ait Liuius lib. 55. *Ad X. Kal. Octob. ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio Consuli ad quadrigas mittendas ascendenti, tabularius qui se ex Macedonia venisse diceret, laureatas literas astulisse dicitur. Quadrigis missis, Consul currum conscendit, & quum per Circum ueheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. Hæc ille.*

Currum cui editores ludorum insistebant, fuisse triumphalem tradunt Argolus in notis Onuphrianis lib. 2. cap. 14. Rubenius lib. 1. de re vestiaria cap. 21. & ob eximiam eruditionem magni inter literatos nominis Octavius Ferrarius in Analectis de re item vestiaria cap. 26. Hoc quidem deducunt ex Capitolino qui in M. Antonino cap. 16. scribit ab Augusto patre in Commodum delatum citò nomen *Cæsaris*, & mox sacerdotium, statimque nomen *Imperatoris*, ac triumphæ participationem, & consulatum; quo quidem tempore senex *Imperator filio* ad triumphalem currum in Circo pedes cucurrit. Hic verò Capitolinum loqui de tempore quo Commodus procedebat ad edendos Circenses pro inito consulatu, ex eo constat, quòd triumphum vnà cum Patre egit, ex Lampridio cap. 2. ac proinde Antoninus id temporis neutiquam pedes ad currum Commodi cucurrit. Cum in textu legatur *sine Imperatoris filio*, Casaubonus aliter erratum emendat, pro *sine* ponens *Senatus*, quasi Patres pedites accurrerint Commodum non quidem Consuli procedenti, sed vnà cum Aurelio ac Vero Augustis triumphanti. Verum in hoc postremo Casaubonus deceptus est; etenim Commodus ex Lampridio cap. 12. *appellatus est Imperator V. Kal. Exuperatorias Pollione iterum, & Apro Coss. Triumphauit X. Kal. Amazonias iisdem Coss.* nempe A. V. C. 929. Christianæ epochæ 176. Verus autem ante septennium obierat. Itaque ex illo deprauato textu Capitolini triumphalis currus edentium ludos minus certò colligitur. Id melius cuiuspiam fortè probari posset ex Dione qui lib. 59. describens pompam, qua Caius Augustus in suo primo consulatu processit ad exhibendos ludos ait: *Sex equis tractus est currus triumphalis, quo Caius uehebatur.* Hanc tamen interpretis versionem non admittit Schefferus lib. 2. de re vehiculari cap. 14. nam verba illa *πομπικὸν ἄρμα* non triumphalem, sed pompaticum currum significant; *πομπή* enim non triumphum sed pompam apud Græcos exprimit; additque toto illo loco *nihil de bello, multo minus de triumpho*; vt planè appareat eundem editori munus non concedere currum triumphalem. Verum obseruo currum triumphalem alibi à Dione *πομπικὸν ἄρμα* disertè appellatum; nam lib. 43. describens triumphos Cæsaris ait: *Ceterum prima die triumphi omen ei aduersum obtigit, axe currus triumphalis apud fanum Fortune à Lucullo adificatum confracto.* Græcè legitur *τὸ ἄρμα τὸ πομπικόν*. Sed video neque ex Dione currum triumphalem probari; nam omnis currus triumphalis pompaticus, non omnis pompaticus item triumphalis, thenæ enim ac carpenta quæ inter Circensium spectacula visebantur, erant currus pompatici, non triumphales.

Ex raro tantum ac insigni Augustæ nummo currus triumphalis quo Consules ad edendos ludos procedebant, innotescit. Zonaras tom. 3. describens formam currus triumphalis ait: *Currus non erat similis ei, cuius usus est in certaminibus ludicris, nec cuius usus in bello, sed rotunda figura instar turricula constructus.* Hoc ipsum ex quadrigis triumphalibus quæ Romæ in arcu Titi visuntur, alijsque innumeris in nummis Augustorum obsignatis eruditè docuit Panuinus in libro

libro de triumpho. Currus erat duarum rotarum, cuius capsa erat rotunda, ac in ambitum clausa, in qua Imperator non quidem sedens, sed stans vehabatur; vnde Ovidius lib. 3 de Ponto el. 4.

*Ille Ducis facies in curru stantis eburno.*

Prudentius lib. 2. in Symmachum V. 555. triumphatores in curru stantes describit.

*Frustra igitur currus summo miramur in arcu*

*Quadrifugos, stantesque duces in curribus altis.*

In omnibus nummorum quadrigis triumphantes Cæsares stantes exhibentur, nusquam sedentes. Rubenius in explicatione gemmæ Augustæ currum triumphalem arcuatum instar hemicycli exhibet; quæ tamen sententia vetustis omnibus monumentis aduersatur. Est currus qualis à Gentilibus Dijs dabatur.

Et quidem cum summis magistratibus munera edentibus vestis triumphalis permitteretur, currus item triumphalis concedi debuit, quo splendidiùs pompam Circensium ducerent. Itaque in nummo Maxentij PROCESSVS eiusdem ad edendos ludos exhibetur, idemque stans in quadriga triumphali visitur, ut planè vera appareat sententia, quæ currum triumphalem editoribus ludorum tribuit, quod tamen nec Salmasius in notis ad Capitolinum in M. Aurelio intellexit, & minùs rectè Schefferus negavit.

Quæri possit num in eodem curru posita esset sella curulis quæ inter præcipua Consulium insignia censebatur. Chimentellus cap. 12. putat in curru triumphali positam fuisse sellam curulem ex Seruio ad lib. 11. Æneid. V. 384. Sed nihil tale ex Seruio colligitur; ille enim scribit vsum sellæ curulis ijs tantùm concessum qui parta victoria, triumphali curru in urbem inuehebantur, quod falsum est; cum in curuli sederent togati magistratus in vrbe procul à castris, ut ex nummis Ædilium, ac historicis omnibus patet. Rursus eadem Chimentelli sententia refellitur, quia cum Senatus Parthicum triumphum Septimio Seuero detulisset, is ex Spartiano cap. 16. *idcirco recusauit, quòd consistere in curru affectus articulari morbo non posset*. Si in curru triumphali fuisset sella curulis, Seuerus quamuis podagra laborans, sedere potuisset. At cum triumphus stanti in curru perageretur, nullus ibidem sellæ vsus esse potuit. Isidorus lib. 20. cap. 11. ait: *Apud veteres Prætores, & Consules propter itineris longinquitatem curru prouehebantur. Sella autem, quæ post eos vehabantur, quibus sedentes iura dicere solebant, à curru currules sella sunt nominata*. At secus testatur Gabius Bassus apud Gellium lib. 3. cap. 18. *Senatores qui curulem magistratum gessissent, dicit curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur*. Ita cum Consules in magistratu essent, post eorundem currum sella curulis uti consulatus insignie palam ferebatur; cum verò magistratum gessissent, sella intra currum reponebatur. Hac ratione vterque scriptor conciliari possit. Vt fit de hoc, in curru triumphantium nullam curulem fuisse certum est, cum nullus eiusdem vsus ibidem esse potuerit.

Cum Maxentius in suo primo consulatu quadrigis elephantorum ad edendos ludos processerit, easdem ob victorias Imperatori decretas puto; præsertim cum in regio Numismate appareat Victoria coronam Principi offerens; edito-



editores enim munerum triumphalibus equorum quadrigis de more vehebantur. Fortassis etiam Tyrannus qui post fugatum ab Italia Galerium, cuncta pro arbitrio agebat, propria auctoritate elephantos currui iunxit, quo pompam splendidiorē duceret. Rem in medio relinquo. Ceterum cum in nummo Mediceo non exprimatur PROCESSVS consularis Augustorum, consequens fit, ut eorundem tantum victoriae indicentur, ob quas utrique, vel Diocletiano saltem, triumphus in quadrigis Elephantorum decretus fuerit, ut pluribus paulò inferiùs demonstrabo.

Vnum hic adijciam epigraphen regij Numismatis posse etiam sic explicari: *Felix processus consularis Augusti Nostri*. Alteram verò nummi Constantiniani: *Felix processus consularis sextus Augusti Nostri*. Ut in hoc Constantini Numismate non quidem sextus eiusdem consulatus inscribatur, sed sextus processus quum idem in consulatu sextum ad edendos ludos exiuit. Scribit de Gordiano seniori Capitolinus cap. 3. *Quasturam magnificentissimè gessit; adilitatis sue tempore XII. populo Romano munera, idest per singulos menses singula de suo exhibuit*. Itaque duodecies ad edendos ludos processit. Hos tamen processus ad septem Iustinianus reduxit. Posterioris ævi Augusti cum consules procederent, sedebant in sella hominum humeris imposita, ut de Iustino II. scribit Corripus lib. 4. & de Mauricio Simocatta lib. 1. cap. 12. ait: *Agebatur annus Mauricij secundus, cum hyeme consul creatus, conscensa sella regia, summoperè perspicuus erat. Ferbant Imperatorem non equi, non muli, non elephanti, sed quod longè pretiosius est, homines*. Sed de his alias.

## C A P V T VI.

*Pompeius Elefantos Africano triumpho primum Romæ currui iunxit. Quadrigas Elephantorum Persici triumphus proprias euasisse Alexandri Seueri ac Gordiani exemplis ostenditur. Capitolini textus minus rectè Schefferro correctus. Antiquariorum de quadrigis equorum in Alexandri Imp. Nummis sententia refellitur. Hac occasione laterculus Consulum in fastis deprauatus restituitur. Quadrigas triumphales Elephantorum in Numismate Mediceo Persicas victorias Diocletiani designare.*

**R**omani aduersus finitimos Latij ac Tusciæ populos bello feliciter gesto, re adhuc tenui & angusta, humiles planè triumphos agebant. Romulum pedibus omnium primum triumphasse, ex pedestribus eiusdem statuis spolia ferentibus, probat luculenter Plutarchus in libello de vita Romuli aduersus Dionysium Halicarnassensem. Dein aucta vnà cum imperio triumphus pompa, Tullius Hostilius, & Ancus Martius equo vecti de hostibus triumpharunt. Idem verò Plutarchus testatur Tarquinium Priscum quadrigis equorum Romæ primitus triumphasse. Etenim cum bello difficili duodecim Tusciæ gentes in potestatem Populi Romani redegisset, inde, inquit Florus lib. 1. cap. 5. *fascēs, trabeæ, curules, annuli, phalerae, paludamenta, prætextæ; inde quod aureo currui QVATVOR EQVIS TRIVMPHATVR. Toga picta, tunicaque palmata; omnia denique decora & insignia, quibus imperij dignitas eminet*. Ita rudis ille populus præclara quæque cum pacis tum belli ornamenta Etruriæ accepta tulit. Camillus debellatis longo ac periculoso bello Veientibus, albos equos currui iunxit, & hos quidem æqua fronte locatos. Scribit de Camillo



nillo Liuius dec. 1. lib. 9. *Maximè conspectus ipse est curru equis albis iuncto urbem inuectus, parumquè id non ciuile modo, sed humanum etiam visum, Iouis ac Solis equis equiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant.* Verùm vbi Romanus Populus latè per orbem arma circumtulit, & ditissimas prouincias in Capitolij iura transcripsit, triumphorum pompa sumptuosissima euasit, & planè humanum modum prætergressa, omnem prorsus formam exiit priscae tenuitatis. Certè vt cetera omittam, albi equi, qui olim humani triumphi pompam, quòd Numinum quadrigis deputati erant, superare visi sunt, præ assiduitate Romanis quibusdam Imperatoribus viluerunt. Hinc ab insuetis quadriugibus noua triumphis pompa quæsitæ. Pompeius omnium primus de Africa triumphans, quadrigis elephantorum in Capitolium venit. Plinius lib. 8. cap. 2. *Roma, inquit, iuncti elephanti primùm subiere currum Pompei Magni Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero Patre memoratur.* Nec vltus in religionem traxit, quadriuges Bacchi ad currum iunctos; tunc enim Romani magna Orbis parte subacta, diuisum cum Dijs imperium iactabant. Quadrigæ postea elephantorum vehendis in Circum statuis Principum consecratorum deputatæ sunt, qui honor Augusto primùm S. C. decretus fuit. Hinc Dio in Nerone apud Xiphilinum: *Et elephantis, qui trahebant currum Augusti in Circum ingressi eò usque ubi Senatores sedent, processerant.* In Cimeliarchio Mediceo quadrigæ elephantorum in nummo primæ magnitudinis visuntur, cum inscriptione: **DIVO AVGVSTO S. P. Q. R.** Item Vespasiani statua in altero Numismate curui elephantorum imposita cum epigraphe **DIVO AVG. VESP.** Et id genus nummi passim apud antiquarios prostant. Cum Septimius Senerus Pertinacem inter Diuos retulisset, *iussit statuam eius auream curru elephantorum in Circum vehi.* Dio apud Xiphilinum in Pertinace. Itaque quadrigæ elephantorum aureis Diuorum Principum imaginibus in Circum trahendis inseruiebant.

At sequiori ætate Imperatoribus Persico triumpho quadrigas elephantorum decerni solitas disertè testatur Capitolinus in tertio Gordiano cap. 27. *Quadrigæ, inquit, elephantorum Gordiano decrete sunt, utpotè qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Eruditissimus Schefferus libro 1. de re Vehiculari cap. 9. contendit mendum in Capitolini textum irreplisse; *Eccur enim, ait, quia Persas vicit, quadrigæ elephantorum decerni tandem ei debuerunt? Non sunt elephantis propriè ac speciatim usitati Persis.* Itaque, concludit, *vix credo sic Capitolinum scripsisse.* Non sum nescius Imperatores, antequam à Romanis cum Persis bella gererentur, quadrigis elephantorum in triumpho vsos, vti de Pompeio proximè ex Plinio referebam. Extat etiam nummus Traiani apud Erizzium, in quo idem in quadrigis elephantorum exprimitur, cum inscriptione: **ATT. TRAIAN. GER. ΔΑΚΙΚ.** *Imperator Traianus Germanicus Dacicus.* Cum Parthicus non appelletur, constat nummum cūsum fuisse post victum Decebalum, ac Daciam in prouinciam redactam, priusquam in Orientem contra Parthos moueret; ac proinde quadrigas Elephantorum in eiusdem Numismate signatas, non indicare Parthicam victoriam. Ceterum vt Capitolini dictum aduersus viri CL. dubitationem defendam, res mihi paulò altiùs ex Herodiano lib. 6. cap. 2. repetenda est. Macrinus vltimus Romanorum Principum cum Artabano Rege Parthorum bellum gessit, cui anno 217. post cruenta cer-

ta certamina finis impositus. Inde Artabano cum Artaxerſe Perſarum Rege infauctis auſpicijs bellatum eſt. Etenim Artaxerſes acie ſuperior, Artabano interfecto, regnum Arſacidarum qui iam inde à Crassi cæde cum Romanis de Orientis imperio varia fortuna contenderant, Perſarum ditioni adiecit. Hinc victoria tumidus, poſſeſſam Perſis ante Alexandri Magni irruptionem, Aſiam armis vindicaturus, Meſopotamiam infeſtis agminibus ingreſſus, prædas tota Syria agere, ac Romana caſtra fluminum ripis ad imperij limites tutandos impoſita expugnare. His Romæ nunciatis Alexander Seuerus Imperator habito vbique militum deſectû, cum ingenti exercitu Romanorum primus in Perſas mouit, cum quibus varijs etiam prælijs conſlixit. Poſtremo prælio tanta clade Perſas affecit, vt fugato Artaxerſe, Meſopotamiam receperit, ac cum ingenti præda in urbem victor redierit. Alexandri orationem in Senatu habitam recitat Lampridius cap. 56. eiſdem initium, quod plurimum ad rem facit, exſcribam. *Perſas P. C. vicimus. Longa eloquentia opus non eſt; tantum ſcire debetis, quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Iam primam Elephantum ſeptingenti: iſdemque turri cum ſagittarijs, & onere ſagittarum. Ex his ingentes cepimus, ducenti interfecti iacent, decem & octo perduximus &c.* Poſt hoc Alexander primum de Perſis triumphum quadrigis Elephantorum egreſſe reſtatur laudatus Lampridius cap. 57. *Dimiſſo, inquit, Senatu Capitolium aſcendit &c. Poſt hoc cum ingenti gloria, & comitante Senatu, equeſtri ordine, atque omni populo, circumſuſisque undique mulieribus, & infantibus, maximè militum contagibus, pedes palatium conſcendit, quum retro currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur. Vt victoriæ pompa illuſtrior fieret, capti elephantum triumphali currui S. C. iuncti ſunt. Hinc quadrigæ elephantum Perſici triumphum propriæ cauſe, quod iſdem prior de Perſis triumphus Romæ ab Alexandro peractus fuit. Gordianus anno tertio ab Alexandri Seueri obitu imperium indeptus, Attico, & Prætextato coſs. ſecundum contra Perſas bellum geſſit, inſignemque ab iſdem victoriam reportauit, effectumque eſt, inquit Capitolinus cap. 27. *ut Perſæ qui iam in Italia timebantur, in regnum ſuum pugnantem Gordiano redirent, totumque Orientem Romana Reſpubl. detineret.* Ipſe etiam elephantos plurimos cepit, ac duodecim Romam miſit, quos poſtea Philippus ludis ſecularibus confecit. Delatis autem Romam Gordiani laureatis, eiſque in Senatu lectis, *quadrigæ elephantum, inquit Capitolinus, Gordiano decreta ſunt, utpote qui Perſas vicieſſet, triumpho Perſico triumpharet, nempe alterum de Perſis triumphum ageret curru elephantum vectus, vti Alexander primum paulo ante de iſdem hoſtibus triumpharat.* Cum Perſes ſeptingentos in acie elephantos contra Romanos inſtruxerint, minus rectè ſcribit vir inſignis, non fuiſſe id genus animalium propriè ac ſpeciatiim Perſis uſitatum, nam Pyrrhus, Annibal, alijque paucos tantum elephantos Romanis in prælijs, obiecere. Profecto Parthorum robur in cataphraſtorum equitatu fuit; ſoli autem Perſæ in bello aduerſus Romanos magnam victoriæ ſpem in elephantum numero poſuere. Opponit idem Schefferus: *Nunquam triumphantibus à Senatu legimus decretum quo animalium genere uterentur in curru.* At hoc contigit, quod quadrigis tantum equorum triumphandi mos fuit. Elephantum quadrigæ triumpho Perſico Alexandro Imperatori primum S. C. decreta ſunt; hinc eiſdem exemplo Gordiano etiam deſtinata. Et quidem Balbino, & Maximo, ac Gordiano poſt occiſum*

sum Maximinum, statuas cum elephantis S. C. decretas testatur Capitolinus; cum tamen in historia Romana statuarum tantum equestres S. C. destinatae dicantur. Quare sicuti statuarum elephantorum decretae sunt: itidem & curros elephantorum decerni potuit.

Ceterum quadrigas elephantorum Alexandro Persico triumpho ductas, eiusdem Alexandri nummi dubias facere videntur; etenim nusquam triumphus Alexandri quadrigis elephantorum, sed equorum tantum in nummis exprimitur cum epigraphe in antica parte IMP. SEV. ALEXANDER AVG. & in postica: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. Duo id genus Numismata continet gaza Ser. Magni DVCIS, tria verò cimeliarchium Serenissimi Card. LEOPOLDI, quorum vnum est maioris magnitudinis, & cælaturæ pulcherrimæ. Carolus Patinus vir planè doctissimus, & in nummorum interpretatione summa cum laude versatus, putat quadrigis equorum in laudatis Numismatibus designari triumphum Persicum; in qua sententia video etiam fuisse Erizzium, Angelonum, aliosque antiquarios. Non possum eruditissimi viri sententiæ accedere, cum eadem Dionis testimonio penitus reuelatur. Alexander Tribunitiam potestatem à Senatu accepit anno 222. mense Martio. Quod mensem attinet, testes sunt Dio & Lampridius. Annus euidenter probatur ex lapide antiquo, in quo Heckædecaeteridem Paschalem S. Hippolyti Martyris incisam legimus. Hic eidem titulus præfigitur: *Anno primo imperij Alexandri Imperatoris, facta est XIV. Pasche Idibus Aprilis Sabbato*. Est character insignis A. 222. Christianæ Epochæ; nam eo anno Idus Aprilis incidunt in diem Sabbati, ac in XIV. Lunam Paschalem. Consules illius anni in fragmento consulari apud Bucherium pag. 247. ponuntur. *Antoninus IV. & Alexander Mar.* ubi significatur iisdem cons. die Martis contigisse Kalendaras Ianuarias, qui est alter euidentissimus character eiusdem anni 222. Cyclo Solis VII. Lunæ XIV. lit. F. Baronius initium Alexandri ac eosdem consules posuit anno 224. Panvinus anno 223. Itaque Tribunitia potestas VIII. Alexandri inchoauit A. 229. mense Martio, quo anno ordinarij consules statuuntur Alexander Augustus III. & Dio II. Extat in Cod. Iust. Alexandri lex XI. *de pactis PP. Non. Decemb. ipso Augusto III. & Dione II. Coss.* At hoc anno Alexandrum nondum expeditionem Persicam suscepisse, sed degisse Romæ, & ad Campaniæ delicias diuertisse testatur eiusdem anni consul idemque historicus celeberrimus Dio Cassius in Alexandro, ubi cum narrasset, se à Prætorianis accusatum fuisse, at Alexander, inquit, *horum rationem habuit nullam, sed contra me magis honestauit, secumque vna designauit secundum consulem*. Quod cum ægrè milites ferrent, *Iussit, inquit, mihi Alexander, ut alicubi extra urbem commorarer in Italia tempore huius consulatus mei. Quod cum fecissem, Romam veni, dein profectus sum ad ipsum in Campaniam, &c.* Ibi verò asserit, Artaxerxis contra Parthos victorijs ingentem Romanis terrorem incussum, nullamque contra eosdem susceptam ab Alexandro expeditionem recitat. Ex hoc tam locupleti testimonio patet Alexandrum anno Trib. Pot. VIII. Romæ, & in Campania commoratum; tantum abest, ut eo anno in Oriente degens cum Persis pugnaverit. Quare quadrigæ equorum signatæ Trib. Pot. VIII. non exprimunt triumphum Persicum, sed alias Alexandri victorias, quas per legatos obtinuit. Easdem paucis perstringit Lampridius in Alexandro

dro cap. 38. *Acta sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Atacrinum, affinem, eius & in Armenia per Iunium Palmatum, atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ, quibus in Senatu, & apud populum lectis, omnibus nominibus est adornatus.* Extat rarissimus nummus Alexandri in gaza Medicea in auersa parte signatus quadrigis triumphalibus cum victoria stantem in curru Imperatorem coronante cum epigraphæ: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. S. C. ut planè constet eundem anno etiam 228, Victoriam alicubi contra hostes consecutum fuisse, unde quadrigæ triumphales eidem S. C. decretæ sunt. Hac occasione vnus consulum laterculus à prima, vsque ad octauam Trib. Pot. Alexandri corrigendus est. Etenim anno 225. Panuinus, Caluissius, Petauius, Ricciolius ceterique consules assignant *L. Turpilium Dextrum & M. Memmium Ruffum.* Verùm ex lapide apud Gruterum, pag. 121. & ex altero saxo pag. 9. statuendi sunt Consules *Fuscus II. & Dexter.* Extant plura rescripta Alexandri *L. 6. de test. militis, L. 4. de impub. substit. L. 2. de liberis prat. L. 7. de fideicommissis,* signata *Fusco II. & Dextro Coss.* Fragmentum consulare apud Bucherium pag. 247. consules exhibet *Fuscum & Dextrum Sat.* Et rectè; nam A. 225. Kalendæ Ianuariæ inciderunt in diem Saturni Cyclo Solis X. Lunæ XVII. lit. B. Interim mirari liceat, cur nusquam in lapidibus, aut nummis Alexander Mauritanicus, Armeniacus, sed neque Persicus inscribatur. Sed de his hætenus.

Victi ab Alexandro Persæ, dein iterum à Gordiano profligati, octodecim annos pacem seruauerunt, donec viribus reparatis, Valeriano imperante tertium Romanis bellum intulere, ac insigni victoria acceptas ab Alexandro, & Gordiano clades compensarunt, capto Imperatore, ac legionibus cæsis. At ne vniuersam Asiam sub iugum mitterent, Odenati, eiusque coniugis Zenobia virtus fecit. Aurelianus in bello contra Zenobiam auxiliares quidem Persarum copias in Regina subsidium missas, interceptit; cum Persis tamen pacem coluit, aureo etiam curru in signum amicitia ab illorum Rege donatus fuit, teste Vopisco in libello de vita eiusdem cap. 33. Carus quartum bellum Persicum suscepit, captisque Ctesiphonte, ac Colche nobilissimis Persarum vrribus, dum victoriam feliciter exercens, castra in Tigridis ripa metatur, fulmine ictus occubuit. Imperator Diocletianus quintum bellum contra Persas gessit, ac recepta Syria, plurimis hostium oppidis captis, & ut ait Orator in panegyrico Constantij *Partho ultra Tigrim redacto,* Narseum Persarum regem ad petendam pacem coegit. Hinc ob Persicas victorias *quadrigæ elephantorum* eidem decretæ sunt, utpotè qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet: quemadmodum de Gordiano Capitolinus superius laudatus, loquebatur. Et quamuis nulla veterum scriptorum monumenta appellare possimus, Medicum Numisma horum fidem facit, in quo Diocletianus quadrigis Elephantorum triumphans exhibetur. His etiam accedit Mamertinum hæc scribere in panegyrico ad Maximianum ipsis parilibus recitato: *Hoc eodem modo rex ille Persarum, nunquam se ante dignatus hominem confiteri fratri tuo (Diocletianum intelligit) supplicat, totumque, si ingredi ille dignetur, regnum suum pandit, offert; interim varia miracula aximia pulchritudinis feras mittit, amicitie nomen impetrare consentus, pacem promittitur obsequio.* Cap. 10. Has autem inter feras fuisse elephan-


35

phantos crediderim, quòd ob vsus bellorum plurimi à Persis fiebant, quos cum Diocletianus in victoriæ signum Romam misisset, vti Alexander, ac Gordianus olim fecerant, eidem triumphus in quadrigis elephantorum S. C. decretus fuit. Num verò idem Imperator A. 302. quo de vniuersis hostibus tum à se, & à collega Maximiano, tum à Cæsaribus Constantio ac Galerio superatis triumphauit, quadrigis elephantorum vsus fuerit, in medio relinquo, neque ausim hac de re quidpiam sine teste affirmare.





DISSERTATIO SECVNDA  
**DE NVMISMATE**  
**LICINIANI LICINII AVG.**



**ALTERVM** Numisma, item aureum, est Licinij Imperatoris, sed mediocris magnitudinis, cum epigraphæ satis obscura : vnde variæ eiusdem interpretationes excogitatæ, quas haud vacat in examen adducere ; illis enim omisiss, veram eiusdem rarissimi Nummi explicationem subijciam ; quod prius quàm exequar, operæ pretium duxi Liciniani tum in Europa, tum in Asia imperij chronologiam præmittere, vt annus eiusdem decennialium, quæ in Numismate inscripta sunt, intelligatur, simulquæ anni tertij ibidem expressi, ratio constet, cum aliàs hæc annorum diuersitas vix secum inuicem componi posse videatur.

**C A P V T I.**

*Liciniani in Europa imperij chronologia ex MS. Mediceo ac Nummis statuitur. Licinium Cæsarem, & Augustum simul designant. CHRISTINÆ Augustæ Numisma perperam Tristano explicatum.*

**C**VM Maxentius Seueri Cæsare Maximiani patris insidijs sublato, urbem occupasset, ac Italiæ, & Africæ inhiaret, Galerius Augustus Seueri mortem ulturus, cum validis copijs toto Illyrico ac Oriente contractis, Romam contendit. Henricus Valesius vir planè doctissimus, vetusti scriptoris excerpta quæ diu cum blattis luctata fuerant, in calce ad historiam Ammiani Marcellini publicauit, ex quibus pleraquæ maioribus nostris ignorataprehendimus : Scribit Anonymus : *Dehinc Galerius cum ingentibus copijs Romam venit, minatus ciuitatis interitum, & castra Interamnæ ad Tiberim posuit. Tunc legatos ad Urbem misit Licinium & Probum, per conloquium petens, vt gener apud socerum, idest, Maxentius apud Galerium precibus magis quàm armis optata mercaretur.*

**Ita-**

Itaque errat Victor Schotti qui ait Licinium designatum Augustum, ad Illyrici munimentum relictum, antequam Galerius in Italiam descenderet; Nam Licinius adhuc priuatus Galerij castra secutus, legatione apud Maxentium perfunctus fuit. Hac tamen legatione despecta, Tyrannus Galerij milites ingentis donatiui spe allectos, suas in partes passim trahebat. Quare Galerius veritus ne ab vniuerso exercitu defereretur, castris incensis, ac Italia omni quacumque iter faciebat, militi in prædam concessa, in Pannoniam inglorius redijt, ac tertio Idus Nouembris, testibus Idacio ac Chronico Alexandrino, Licinium imperij consortem designauit. Erat Licinius *Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod aduersus Narseum gesserat, strenuis laboribus ac officijs acceptus*. Hæc Eutropius lib. 10.

Annus inaugurationis Licinij non idem ab omnibus statuitur. Baronius ad A. 307. Gothofredus in notis l. 1. de *insir. his quæ à tyrannis*, Petauius in Chronico, scribunt Licinium anno 307. purpuram induisse. Valesius in notis ad laudatum Anonymum, Idatium secutus, initium Liciniani imperij statuit anno 308. quod tamen vltra biennium protrahunt Panuinus, Caluissius, ac Goltzius. Imò Sigonius lib. 2. de imperio Occident. scribit Licinium ad imperium euectum A. 311. XI. K. Maij, nempe ipsis parilibus. Sed aliud insuper controuersum est, num Licinius prius Cæsar, dein Augustus designatus fuerit. Hoc enim pluribus contendit Trifanum tom. 3. comment. 82. Petauius, Ricciolius, alijque passim, quibus tamen refragatur Scaliger in notis Eusebianis num. 2324. Extat in Bibliotheca Serenissimi Magni DVCIS Etruriæ antiquus Eusebij Cæsariensis codex in pluteo LXX. in quo pag. 144. recitatur titulus edicti anno 311. ab Imperatoribus Galerio, Constantino, ac Licinio publicati; in editis Eusebij voluminibus Licinius omittitur, quem tamen Cl. Valesius post Nicephorum lib. 7. cap. 23. ex alijs etiam MSS. suo tandem loco restituit. In titulo edicti Galerius inscribitur *Tribunitia potestatis XX. Consul VIII. Constantinus Tribunitia Potestatis V.* ita enim ex Nicephoro lacuna implenda est, postea in laudato codice legitur: *καὶ αὐτοκράτωρ καὶ σαρ βασιλεὺς Λικίνιος ὡσιβὴς, ἐντυχὴς, ἀνικτὸς, σεβαστὸς, ἀρχιερεὺς μέγας, δημοκρατικὴς ἐξουσίας τὸ τίταρτον, αὐτοκράτωρ τὸ τρίτον, ὑπάτος, πατὴρ πατρίδος, ἀνδραγατός. Et Imperator Caesar Valerius Licinnius, Pius Felix, Inuictus, Augustus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestatis IIII. Imperator III. Consul, Pater Patriæ, Proconsul &c.* Hoc edictum emissum fuit paulo post initium anni 311. quo Maximianus Galerius in omnibus fastis ponitur Consul VIII. Idem verò inierat tribunitiam potestatem Tiberiano & Dione Coss. A. 291. Kalend. Martij, teste Idatio, & antiquo Panegyriste in oratione ad Constantium Cæsarem. Quare Tribunitia potestas Galerij vices repetita, desinit in fine Februarij A. 311. ac proinde edictum illud, in quo eiusdem Trib. Pot. XX. signatur, emissum fuit ante Martium, quo tempore eiusdem consulatus octauus cum Tribunitia potestate XX. rectè componitur. Ex his euidenter initium Liciniani imperij deducitur; nam cum ex fastis Idatij, & Chronici Alexandrini eiusdem inauguratio contigerit *Carnunto III. Idus Nouembris*, initium Tribunitiæ Potestatis quæ vnà cum purpura nouis Principibus, id temporis deferrebat, statuendum est A. 307. vt postea anno 311. ante Martium inscribi potuerit in titulo edicti: *Tribunitia Potestatis IIII.* Hoc ipsum



ipsum ostendit aureum Numisma Licinij quod interpretandum suscepi; nam decennalia eiusdem ineunte decimo imperij anno cum tertio anno imperij eiusdem in Asia iunguntur; anno autem 316. III. Idus Nouembris tertius Asiatici imperij annus Licinio labebatur, ut inferius ostendam, ac proinde initium Tribunitiæ potestatis eiusdem alligari debet anno 307. Itaque ex literarijs Principum Etruriæ Cimelijs, nempe ex Laurentiano Eusebij codice, & ex Serenissimi Cardinalis Numismate initium imperij Liciniani in Europa, historicis hucusque controuersum, suo demum tempore assignatur, nempe die 11. Nouembris A. 307.

Porro Licinium vnâ simul & Cæsarem & Augustum designatum ex Eusebio, ac nummorum inscriptionibus mihi satis apertè colligitur. Eusebius, cum lib. 8. cap. 13. Valesianæ editionis, recitasset Constantini in Britannia inaugurationem, hæc scribit: *Post hæc Licinius communi Imperatorum suffragio Imperator, & Augustus declaratus est. Quod quidem Maximinus agrè admodum tulit, qui hæctenus Cæsar duntaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo præ ceteris tyrannico ingenio præditus, Augustus à semetipso renunciatus est.* Eusebius omni exceptione maior testis habendus est, quippe qui sub Maximini imperio vixit, eumquæ Cæsareæ in Palestina de facie nouit, cuius etiam iussu ob Christianæ religionis professionem in carcerem coniectus fuit. Itaque Eusebius testatur Licinium creatum fuisse Augustum, ac statim Maximinum noui huiusce Imperatoris designatione intellecta, propria auctoritate, non expectato Galerij, aut Constantini, vel Maxentij consensu, semet Augustum dixisse. Tristatus tomo 3. comment. 82. pag. 429. ac Valesius in notis ad laudatum Eusebij testimonium, & ad c. 13. lib. 8. & ad cap. 1. lib. 9. scribunt Maximinum anno 311. defuncto Galerio auunculo, Augusti titulum primitus vsurpasse, quod & de Licinio affirmant. Ego ex nummis ab Occone laudatis, rem planè definiam, ac palam faciam, quantum præsidij ex nummorum inscriptionibus ad exactam Romanorum Principum historiam assequendam habeamus. Hi nummi Occoni viro diligentissimo laudantur: IMP. MAXIMINVS. P. F. AVG. in postica parte signati: GENIVS AVGVSTI. A. alius B. alius C. alius D. alius E. alius & omnes S/S. In alijs eiusdem nummis legitur: IOVI CONSERVATORI. A. alius B. alius C. alius D. alius & omnes S/S. Hi nummi percussi sunt Siscia, qua in vrbe moneta cudebatur, vnde & in Notitia imperij nominatur *Procurator monetæ Siscianæ*. At certum est apud antiquarios Græcis illis literis A. B. C. D. E. & sex imperij annos significari, quod longa Numismatum omnium Augustorum serie ad oculum Goltzcius demonstrauit. Ex his patet Maximinum per sexennium Augusti titulo decoratum; vltima enim notata sextum numerum apud Græcos designat. Cum verò exeunte anno 313. bellum ciuile inter Licinium ac Maximinum eruperit, ut cap. 2. ex ipsius Maximini edictis ostendam, consequens fit, ut Licinius in honorem Maximini Augusti circa initia anni 308. Siscia, quæ erat Pannoniæ vrbs, vbi apud Sirmium idem Licinius imperij sedem posuerat, Galerio Augusto apud Serdicam commorante, nummos cudendos iusserit, ut pleno ferè sexennio Maximini nummi cum Augusti titulo Siscia obsignati dicantur. His quæ planè euidencia sunt, stabilitis, Licinij Augusti imperium inchoatum fuit III. Idus Nouem-



Nouembris A. 307. cuius inaugurationis nuncio in Orientem delato, Maximinus moleste ferens novum hominem sibi & Cæsari & nepoti à Galerio prælatum, se pariter sine collegarum consensu, propria auctoritate Augustum, invidiâ stimulante, nuncupavit. Galerius quo civilium bellorum causam auerteret, factum probavit, quod etiam Licinius non modò ratum habuit, verùm etiam ut Maximini amicitiam demereretur, nummòs eiusdem effigie cum Augusti titulo obsignatos in Pannonia, ubi imperabat, cudi iussit. Hoc ipsum fecisse Constantinum, ac Maxentium constat ex nummis Maximini Augusti imagine signatis cum epigraphe: GENIO POP. ROM. cum literis PTR. nempe *Percussa Treuiris*, ubi Constantinus domicilium habebat. In gazâ Magni DVCIS extat nummus cum inscriptione: IMP. C. GAL. VAL. MAXIMINVS P. F. AVG. & in postica parte: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Quo nobili titulo Maxentius Maximinum insigniuit; sed minus mulum perfricuit. Etenim Maxentius, cum iniquo esset animo erga Constantinum, ac Licinium, *amicitiam ac fœdus cum altero Orientis tyranno fovebat*, teste Eusebio lib. 8. cap. 14. Itaque regia planè via, nemini tamen hucusque calcata (adeo homines aliàs eruditi, Numismatum luce relicta, obscuris prorsus coniecturis ducuntur) ad veram Liciniani imperij epocham perveni. Goltzius Græcos Licinij nummos profert inscriptos: ΑΥ. Κ. ΟΥΑΑ. ΛΙΚΙΝΙΑΝ. ΑΙΚΙΝΙΟC. CEB. Λ. Α. postremum Λ. ΙΕ. *Imp. Cæsar Valerius Licinianus Licinius Augustus. Anno primo. Postremus: Anno XV.* ut planè luceat, eundem designatum Augustum antequam Galerius A. 311. imperium cum vitâ relinqueret; victus est enim Licinius, ac ad priuatam vitam redactus A. 324. vti scribit Idatius, vel anno 323. ut aliàs ex Constantini rescriptis ostendam. Hinc infero Licinium simul Cæsarem, & Augustum creatum, quod præter adductâ Maximini Numismata Sisciæ obsignata, inde etiam eruditè colligit Scaliger, quod nullus hucusque ab antiquarijs nummus repertus fuit, in quo Licinius NOB. CAES. inscribatur. Non Occo, non Goltzius eiusmodi inscriptionis Numismata laudarunt, cum tamen omnes penè gazas diligentia incomparabili scrutati fuerint. Profectò in copiosissimis Serenissimorum Etruriæ Principum Cimeliarchijs nusquam Licinius senior Cæsaris titulo inscribitur; sed nec in Gaza Inclytæ Regina talis nummus visitur, vti mihi per literas significavit Franciscus Camelus regij Musei Præfectus ac in re antiquaria summa cum laude versatus; quod item testatum fecit vir illustrissimus Comes Ioannes de Lazara, cuius ditissima scrinia plurima Licinij Numismata continent, omnia tamen Augusti titulo obsignata.

Extat in regijs Cimelijs CHRISTINÆ Augustæ Licinij Nummus æreus minoris magnitudinis, sed insignis ac planè rarissima inscriptione signatus, cuius hic ætypum exhibeo.



Joan-

Ioannes Tristanus antiquariorum huius ætatis facili princeps tom. 3. comm. 82. pag. 428. eiusdem omnino typi nummum aureum tamen producit, cuius inscriptio in antica parte alteri Augustæ similis legitur in postica verò hanc epigraphen præfert: IOVL. VICT. CONSER. DD. NN. AVG. ET CAES. in inferiori parte hisce notis signatur: M. K. T. Putat Tristanus designari ibidem Galerium Maximianum, quem Iouium non semel appellat auctor Chronici Alexandrini, itemquæ Licinium Cæsarem quem contendit mortuo tantum Galerio Augusti titulum usurpasse. Itaque hanc nummi interpretationem concinnat: *Dominorum Nostorum Iouij Inuicti Augusti*, nempe *Galerij Maximiani*, & *Cæsaris Licinij senioris*. Et in auersa: *Ioui Tutori, Victori, Conseruatori Dominorum nostrorum Augusti*, & *Cæsaris*. Placuit explicatio Henrico Valesio in eruditissimis notis ad cap. 9. lib. 9. Eusebij Cæsariensis, eamque haud incommodam dixit eruditissimus Spanhemius dissert. 8. de usu & præst. num. pag. 748. Verum Tristanus hac in re adeo infeliciter calculos posuit, ut totam planè illam rarissimi Nummi interpretationem erroneam obtruserit. Hæc diligentius ostendam, non solum quod Liciniani nummi explanationem, in qua versor, plurimum promouent, verum etiam quod intellego me id incomparabili Reginarum MAXIMÆ beneficentiæ debere. Nam cum me nuper AVGVSTA in regium literatorum Senatū extra dubiam suffragiorum aleam, diuali oraculo adlegerit, nec ex præscripto Academiæ, in regio Musarum sacrario orationes recitare possim; tum quod ab vrbe disto; tum quod longius ab erudito ac eleganti genere dicendi, quale sacras aures decet, me remotissimum sentio, cruda hæc antiquariæ artis rudimenta in deuota mentis, ac obsequij testimonium offero; vereor tamen, ne regia cimetaria noui inter antiquarios hominis proletaria studia, ac ignobiles curas excludant.

In primis Tristani interpretatio violenta apparet ex illa verborum transpositione quæ à Numismatum ac lapidum inscriptionibus aliena est. Profecto mihi compertum est duos ibidem Licinios designari, Augustum Patrem, ac Cæsarem, filium; nam Cæsar exhibetur adolescentulus, mento ne leui quidem lanugine asperato, quod in nummo præsertim regio optimè seruato, ad oculum patet; ac proinde nequit esse Licinius senior, siquidem hic occisus fuit A. 325. *fere sexagenarius*, teste Victore Schotti; idem ab Eusebio vocatur *senex decrepitus* lib. 10. cap. 8. Sozomenus etiam libro 1. cap. 7. scribit hoc ab Apolline Licinio responsum datum.

*Te iuuenes, grandæue pater, vexare feroces.*

*Certum est: te infirmum manere, erummosa senectus.*

Quare Licinius quadragenario maior in imperij societatem à Galerio vocatus fuit. Errat iterum Tristanus putans Diocletianum ac Galerium, non verò Licinium Iouios appellatos; nam laudatur à Cl. Spanhemio dissert. 8. de usu & præst. num. pag. 747. nummus cum epigraphe: IOVIVS LICINIVS AVG. Diocletianus M. Maximianum imperij collegam designans, eundem in Valeriam familiam quam iactabat, asciiuit: se quidem Iouium, Maximianum verò Herculum appellans. Hinc cum Diocletianus Galerium, Maximianus Constantium filios sibi adoptassent, Galerius Iouij, Constantius Herculei nomen sortiri sunt, uti lucet ex Chronico Alexandrino & antiquo Con-

stan;

eulei nomen sortiti sunt, vti lucet ex Chronico Alexandrino & antiquo Oratore, qui in panegyri recitato coram Maximiano ac Constantino Constantij Aug. F. cap. 8. ait: *Hic est, nempe Maximianus, qui nomen quod accepit à Deo principe generis sui, dedit vobis: qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed æquatis virtutibus comprobavit.* Ibidem etiam iidem dicuntur Imperatores semper Herculei. Hinc cum Galerius Maximinum ac postea Licinium etiam adoptasset, vterque Iouius fuit. Hoc se nomine inscribit Maximinus in edicto apud Eusebium lib. 9. cap. 9. Et item Licinius in laudatis Numismatibus. Porro omnes in Valeriam Diocletiani familiam transiere, vt ex eorundem nummis apparet. Scaliger putat adoptatos à Diocletiano Iouios appellatos, Valerios verò quos Maximianus in filios asciuit. Constantinus cum solus Romani imperij fastigium occupasset, Valeriæ familiæ nomine antiquato, filios Flauios nuncupauit. Errat tertio Tristanus scribens Licinium vnà simul Cæsarem ac consulem designatum. Nam Licinius ex fastis Græcis, Cassiodori, ac Victorij Aquitani A. 311. consul ordinarius fuit, collega Maximiano VIII. cum id temporis esset Trib. Pot. IV. vt ex edicto ostendi. Hinc corrigendi sunt Panuinus, Caluissius, ac Goltzcius, qui putant A. 311. Kal. Ianuarijs solum Maximianum Galerium consulem processisse, Licinium verò postrema eiusdem anni parte consulatum suffectum gessisse; in edicto enim ante Kalend. Martij A. 311. publicato Licinius disertè inscribitur *consul*, ac proinde consulatum ordinarium Kal. Ianuarijs iniuit. Errat IV. addens bellum inter Licinium ac Maximinum ex recens vsurpato à Maximino Augusti titulo deriuasse. Nam Licinius, vt ostendi, non modò eundem titulum collegæ ratum habuit, verum etiam nummos in honorem Maximini cum *Augusti* epigraphe pleno ferè sexennio Siscia in Pannonia, vbi imperabat, scalpendos iussit. Errat V. dicens Licinium post Galerij obitum Augustum primitus appellatum; in titulo enim laudati edicti vnà cum Galerio inscribitur: *Imperator Caesar Augustus*; & rursus *Imperator III.* ex quibus constat ob reportatas victorias Imperatoris nomen à victore exercitu tertio eidem delatum. Errat VI. asserens Galerium vniuersum Illyricum Licinio regendum tradidisse. Nam Galerius Rhætiam tantum ac vtramque Pannoniam Licinio commisit; Illyricum verò, Thraciam, ac Asiaticas prouincias citra diocesim Orientalem sibi reseruauit. Scribit Anonymus Valesij: *Tunc Galerius Licinium Cæsarem fecit; deinde illo in Pannonia relicto, ipse Serdicam regressus, &c.* vbi etiam interiit. Denique minùs rectè interpretatur literas in inferiori parte inscriptas; M. K. Γ. *Moneta Karnutensis*, quasi nummus sculptus sit, vbi primùm Licinius purpuram à Galerio accepit. Etenim Γ. annum tertium imperij designat; qua sanè nota nequit indicari annus imperij Licinij quod tum primò auspicabatur; neque Galerij qui anno imperij XVII. Licinium in imperij societatem vocauit. Idem Antiquarios numeralis illius notæ explicationem omisit, quòd neutrius imperio congruere intelligebat.

Num verò idem posticæ partis inscriptionem optima fide retulerit, alij fortè in dubium vocabunt. Ipse integram eidem fidem accommodo. In nummo Augustæ legitur: *Ioui Optimo Maximo, & Victoriæ Conservatoribus Dominorum Nostrorum Augusti, & Cæsaris.* Est accurata Eruditissimi Amici interpretatio, Romani Victoriam vti Deam in templis venerabantur. Cum bello secundo

cundo Punico Hiero Siciliae rex auream Victoriae statuam pondo CCCXX. Romanis dono misisset, testatur Liuius dec. 3. lib. 2. Senatui Regi scripsisse: *Victoriam omenque accipere, sedemque se Diuæ dare, dicare Capitolium, templum Iouis Opt. Max. in eâ arce urbis Romæ sacratam, volentem, propitiamque, firmam ac stabilem fore Populo Romano.* In vno eodemque templo plures Victoriae imagines adoratas ex eodem colligitur dec. 3. lib. 6. *In eâ,* inquit, *Concordiæ victoriae quæ in culmine erat, fulmine icta decussaque, ad victorias, quæ in ante fixæ erant, hec sit atque inde procidit.* Scribit de Augusto Dio lib. 51. *Tum Curiam Iuliam in honorem patris sui factam dedicauit, in eaque imaginem Victoriae posuit, quæ hodie quoque extat, Tarento olim Romam aduecta, & à Cesare tum in curia posita, & spolijs Egyptiacis decorata; ex quo Caesar nimirum ostendebat, imperium se ex Victoria esse adeptum.* Herodianus lib. 7. ait duos Maximini milites curiam ingressos sic ut ultra aram quoque Victoriae penetrarent. Hæc imago Victoriae stetit in curia vsque ad imperium Constantij, qui cum anno 357. primum Romam venisset, nondum sacris initiatus mysterijs, contaminari se putauit, si aram illic videret; iussit auferri. Hæc D. Ambrosius in epistola contra Symmachum ad Valentinianum iuniorem. Ceterum Gentiles mortuo Constantio, eandem aram Victoriae restituendam curarunt, quam cum Gratianus Augustus iterum amouendam iussisset; eodem occiso grauissima ob eam rem dissidia inter Symmachum Præfectum Vrbi, & S. Ambrosium emerfere, vti ex vtriusque epistolis lucet. Egregie sanctissimus Episcopus Gentilium infaniam vellicans ait: *Sic Deam esse Victoriam crediderunt, quæ utique munus est, non potestas: donatur, non dominatur: legionum gratia, non religionum potentia. Magna igitur Dea, quam militum multitudo sibi vendicat, vel praeliorum donat euentus?* Prudentius etiam poeta Christianus lib. 2. contra Symmachum ait.

*Non aris, non fare mole Victoriae felix  
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,  
Vis animi, excellens ardor, violentia dura,  
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.  
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamuis  
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas  
Explicit, & multis surgat formata talentis,  
Non aderit, versisque offensa videbitur hastis.*

At Gentiles Victoriam Numen putabant, quam etiam conseruatricem ac custodem Romani imperij arbitrabantur. Hinc Symmachus ad Valentinianum iuniorem scribebat: *Multa Victoria debet Aeternitas vestra, & adhuc plura debebit. Auerfentur hanc Potestatem, quibus nihil profuit: vos amicis triumphis patrociniū nolite deferere. Cunctis Potentia ista votiua est; nemo colendam neget, quam profitetur optandam. Quæ Ethnici hominis dicta laudati Patres non tam confutarunt, quàm irrisere.* Claudianus lib. 3. de laudibus Stilichonis canit.

*Quæ verò procerum voces, quam certa fuere  
Gaudia, cum totis exurgens ardua pennis,  
Ipsa Duci sacras Victoria panderet ades,  
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis?  
CVSTOS IMPERII Virgo quæ sola mederis  
Vulneribus, nullumque docēs sentire laborem.*

Itaque Gentiles vtrumque Numen, nempe Iouem ac Victoriā, Licinij Augusti, ac Licinij Cæsaris conseruatores in eodem Numismate inscribere, quemadmodum, teste Liuiο, in eodem quoque templo Romæ adorabantur.

Vtrumque Numisma tum æreum in Cimilarchio regio, tum aureum Tristiani obsignatum fuit anno 317. cum Kalendis Martij Licinius puer ab Augusto patre Cæsar designatus fuit; huius enim inaugurationem eo anno contigisse ex Idatio alijsque antiquissimis scriptoribus cap. 4. demonstrabo. Id euincit annus tertius Licinij in Tristiani Numismate Græca nota Γ. designatus. Et quidem vt in sequenti capite euincam, anno 317. ad Kal. Martias numerabatur tertius annus imperij Licinij in Asia. At in nummo Augustæ annus prior nota numerali A. indicatur, scilicet Licinij iunioris qui id temporis imperium auspicabatur. Etenim in nummis non designabantur anni tantum Augustorum, verum etiam Cæsarum nobilissimorum. Extat nummus in gaza Medicea inscriptus: CONSTANTIVS NOB. CAES. in auersa parte legitur SIS Γ. nempe *Siscia anno tertio*. Constantius Chlorus A. 293. post Kal. Martias annum tertium imperij debebat, quo tempore Diocletiani nouus, Maximiani octauus numerabatur. Res est certissima ex nummis Maximini, Galerij, aliorumque Cæsarum apud Occonem, & Goltzium. Eos verò nummos non quidem apud Carnuntum in Pannonia, verum apud Cyzicum in Bithynia percussos puto, atque legendum: *Signata moneta Kyzici anno primo*, & in altero: *Moneta Kyzicensis anno tertio*. Ostensum enim est nummum vtrumque cussum fuisse A. 317. id verò temporis Carnuntum non ad Licinij, sed ad Constantini imperium spectabat; & quamuis Augusti intra imperij sui fines nummos in collegarum honorem obsignabant, cum Constantinus tunc Idola palam auersaretur, vix crediderim ausos fuisse monetarios supersticiosam illam inscriptionem Ioui ac Victoriæ dicatam apud urbem Christiani Imperatoris nummis imprimere. His adde nummos in Pannonia apud Sisciam, & Sirmium, non verò Carnunti solitos scalpi. At Cyzicum erat vrbs Bithyniæ in qua prouincia Licinius Orientalis imperij sedem posuerat. Monetariorum Ordinem apud Cyzicum ab Imperatoribus antiquitus institutum narrat Sozomenus lib. 5. cap. 14. Et *thesauri* apud Cyzicum memorantur Ammiano Marcellino lib. 26. pag. 326. edit. Valesij V. C. Numismata etiam cum epigraphæ ΚΤΖΙΚΗΝΩΝ passim antiquarijs laudantur.

## C A P V T II.

*Singularis Baronij sententia de initio Liciniani in Asia Imperij ex edictis imperatorijs, ac Numismatum inscriptionibus aduersus vulgarem opinionem demonstratur.*

*Subscriptio legis in vtroque Codice perperam signata emendatur.*

**A**D exactam Medicei Numismatis intelligentiam annus occupatæ à Licinio Augusto Asiæ indagandus est. Hoc enim peculiare in rarissimo nummo visitur, quod in eodem diuersi eiusdem Principis anni obsignantur, nam licet in nummis aliorum Cæsarum anni Tribunitiæ potestatis cum annis imperij non conueniant, vnde decennalia M. Aurelij cum anno Tr. Pot. XXV. in eiusdem nummis iunguntur, quod item in alijs passim apparet, nusquam diuersi imperij anni, hoc insigni Numismate excepto, vnà simul exprimentur.

Sanè litera Γ. tertium Licinij Augusti annum designat, qui cum decennialibus eiusdem nobis componendus venit.

Anno 311. ineunte Galerius Maximianus insanabili morbo correptus, effusi Christiani sanguinis poenas tardæ Numinis vindictæ se dare sentiens, editum superiori capite laudatum publicans, veræ religionis professionem liberam fecit. Verùm vt oraculi verbis vtar, *orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*. Quare cum toto corpore tabefactus, vltimo fato vrgeretur, Licinium Augustum totius Illyrici, quod in septemdecim prouincias diuidebatur, hæredem instituit; Asiaticam verò diœcesim, in qua Bithynia, Pontus, Galatia, aliæquæ prouinciæ numerabantur, Maximino Augusto nepoti legauit. Hac imperij diuisione concordia inter vtrumque stabilita. Vtri Thracia contigerit, in obscuro latet. Quispiam Maximino potius deputarit, quòd exorto inter vtrumquè bello, Maximinus in Illyrico cum Licinij copijs conflixit. In Thracia autem prior belli turbo detonuisset, si hæc ad Licinium spectasset, neque Maximinus tantas ex Asia copias in hostili litore exposuisset, si nullum in Europa portum possedisset. Rem in medio relinquo. Galerius post edicti publicationem, teste Eusebio lib. 8. cap. 18. *continuo vita simul ac doloribus liberatus est*. Maximinus noui imperij prouincias lustraturus, in Bithyniam se contulit; & quidem anno 312. ineunte, Nicomediæ degisse patet ex actis S. Luciani Martyris, qui obiit die 7. Ianuarij, quod etiam testatur Eusebius lib. 9. cap. 6. *Sed & Lucianus*, inquit, *Antiochena Ecclesiæ presbyter; virtum vitæ continentia, sacrarum literarum scientia conspicuus, perductus Nicomediam in qua tunc ciuitate Maximinus morabatur, cum defensionem fidei illius quam profitebatur, coram Præside edidisset, coniectus in carcerem trucidatur*. In actis familiari Græcorum errore, pro Maximino Maximianus scribitur, sed ex Eusebio textus emendandus est; præsertim cum Galerius apud Serdicam longiori morbo conflictatus, finem viuendi fecerit. Hæc consultò adnotaui, quòd in annalibus Luciani Martyrium à V. C. retrahitur ad A. 311. Maximiano Galerio Nicomediæ commorante. Interim legi possunt quæ ad hoc ipsum adducit vir eruditissimus idemquè pientissimus Bollandus in prolegomenis ad acta Luciani Martyris tom. 1. mensis Ian. D. VII. S. 1. num. 10. vbi ineluctabili argumento meam, imò veram sententiam confirmat.

Constantinus cum bellum aduersus Maxentium mente agitare, ac probè nosset tyrannum veterano Diocletiani milite armatum, cum Licinio fœdus percussit, eumque Constantia sorore eidem desponsata, arctiùs sibi quæsitâ affinitate coniunxit. Anno 312. Constantinus in Italiam descendit, ac duplici prælio apud Veronam Maxentianis superatis, victrices aquilas ad Urbem rapuit. Victus est Maxentius ad pontem Miluium V. Kal. Nouembris, & insequenti die Constantinus victor urbem ingressus, Italiam ac paulò post Africam occupauit. Scribit Auctor excerptorum apud Valeñum, Maxentium fluuij gurgitibus absorptum; addens: *postera die corpus ipsius leuatum flumine, & caput eius incisum in urbem perlatum est*. Nazarius verò describens ingressum Constantini in urbem ait. *Sequebatur hunc comitatum suum tyranni ipsius teterrimum caput, &c.* Itaque rectè in Kalendario veteri apud Bucherium pag. 286. legitur: *V. Kal. Nouembris Euictio Tyranni. IV. Kal. Ingressus Diui*. Quæ de clade Maxentij, ac ingressu Constantini planè intelligenda sunt, Bucherius de



de Licinio eadem perperam accepit; Licinius enim XIV. Kal. Octobris apud Chalcedonem victus, Nicomediam fugit, nec postridie diei pugnae Constantino se dedit, cum Chalcedo distet Nicomedia M. P. LX. ut constat ex tabulis Peutingerianis, & itinerario Hierosolymitano. De anno victi Maxentij li-tem intendit Scaliger qui Constantini victoriam in annum 313. protrahit. Sed ex infallibili charactere refellitur. Anno 313. die secunda Octobris durante Constantino, habita est Romae Synodus in causa Donatistarum à S. Melchiade Papa; dicitur verò ille confessus coactus *Constantino ter & Licinio ter Coss. VI. Nonas Octobris feria sexta* apud Optatum Mileuitanum lib. 1. con. Parmenianum. Est annus 313. quo dies secunda Octobris incidit in feriam sextam Cyclo Solis XIV. Lunae X. lit. D. Itaque anno superiori Roma victo Maxentio, in Constantini potestatem venerat.

Constantinus tertium vix mensem Romae moratus, vrbaniis rebus compositis, Mediolanum profectus, Constantiae nuptias cum Licinio illuc accito, splendidissima pompa celebravit. Cum de imperio restituendo in commune consulerent, id è re publica visum est, ut persecutio aduersus Christianos toto Orbe Romano inhiaberetur, data interim cuique libera religionis pro arbitrio colendae facultate. Itaque celebre edictum promulgarunt, quo Christiani cultus obseruantia permittebatur. Extat edicti formula apud Eusebium lib. 10. cap. 5. Hanc legem mense Martio emissam fuisse patet ex *L. 1. de bonis vacant.* quae dicitur à Constantino *data Mediolani IV. Idus Martias Constantino III. & Licinio III. Coss. A. 313.* Quare id temporis duo Imperatores Mediolani morabantur. Scribit Anonymus: *Nuptijs celebratis Gallias repetit Constantinus, Licinio ad Illyricum reuerso.* Author est Eusebius vtrumque Augustum edictum pro Christianis ad Maximinum transmississe, ut illud toto etiam Oriente ab eodem publicaretur; *parte*, inquit, *de tyranno victoriae nuntium, ipsamque adeo legem ad Maximinum, qui in Orientis partibus etiam tum imperabat, seque ipsis amicum simulabat, transmissere.* Ex his patet errare Petauium, aliosque existimantes Maximinum anno 312. victum à Licinio, diem obiisse. Verum communis ferè sententia est eundem anno 313. post ingentem cladem à Licinio acceptam, acerbissimis cruciatibus consumptum, apud Tarsum infamem animam exhalasse. Ita scribunt Sigonius lib. 3. de Imp. Occid. Valesius in notis ad cap. 10. lib. 9. Panvinus lib. 2. fast. ad A. V. 1066. Goltzius, Caluissius, & ceteri passim Chronologi, quibus addendus est Gothofredus in comment. ad *L. 2. de censu Cod. Theod.* Ceterum Cardinalis Baronius victoriam Licinij, ac Maximini mortem in annum 314. refert, quam doctissimi Scriptoris sententiam verissimam puto.

Cum Constantinus ac Licinius legem pro Christianis mense Martio ad Maximinum transmiserint, certum est eundem id temporis vtrique amicum fuisse, quod disertè laudatus Eusebius testatur; aliàs Licinius relictis nuptiarum solemnij, bellum contra eundem adornasset, nec tam procul ab hostili solo in Italiam se contulisset. Ex his corrigendus est Gothofredus, qui putat ante Iunium contigisse mortem Maximini, ac Vniuersum Orientem in Licinij potestatem venisse. Video virum insignem id probare ex lege secunda *de Censu*, cui titulus praefigitur: *Idem AA. ad Eusebium V. P. Praesidem Lyciae, & Pamphiliæ; & dicitur data Kal. Iun. Constantino A. III. & Licinio III. Coss. A. 313.* Cum verò

Verò duo illi Augusti fuerint Constantinus & Licinius, & Lycia ac Pamphilia anno demum 324. Constantini imperio accesserit, vni Licinio laudatum rescriptum attribuendum est, ac ex consequenti ante Iunium mortuo Maximino, idem in Asia imperabat. Hæc Gothofredus. Verùm errorem irrepsisse in subscriptionem, patet ex literis ab utroq; Augusto ad Maximinum datis. Quare legendum est: *Constantino IV. & Licinio IV. Coss.* nempe A. 315. vti euidenter ostendam ex edictis Maximini anno 313. & 314. publicatis. In Cod. Iust. L. *vn. de capitatione* eadem lex grauiori errore vni Constantino attribuitur, cum id temporis Asia ad Licinium spectaret. Ibidem verò hæc leguntur: *Sicut etiam sub Domino & Parente nostro Diocletiano seniore Augusto &c.* quibus patet Diocletianum adhuc fuisse superstitem; alias Diuus nuncuparetur, cum Licinius eundem inter Diuos retulerit, vt ex nummo Goltzjij atque Eutropio lib. 10. colligitur.

Maximinus, vbi transmissam ab Imperatoribus pro Christianis legem accepit, indignari, fremere, ac atrociam quæquæ mente agitare; verùm metu eorum qui inſerant, inquit Eusebius lib. 9. cap. 9. *hanc primùm pro Christianis epistolam veluti suo pte motu & ex propria auctoritate conscriptam ad Præsides imperij sui, necessitate adactus direxit.* In titulo epistolæ legitur: **IOVIVS MAXIMINVS Augustus Sabino.** Ibi paulo post initium hæc ait: *Cum anno præterito Nicomediam feliciter essem ingressus &c.* Erat autem Nicomediæ ineunte anno 312. vbi Lucianum Martyrem neci tradidit ex Eusebio, cuius verba superius recitavi. Epistolæ summariū his verbis continetur: *Si quis sua sponte Deorum cultum suscipiendum agnouerit, hunc ambabus vlnis amplecti oportet. Quod si qui religioni suæ inherere maluerint, arbitrio ac potestati suæ sunt permittendi.* Hæc ille. Interea arroganti tumore elatus, cœpit collegas Augustos contemnere, tanquam qui post ipsum ad imperium euecti fuerant. Hinc in titulis edictorum, in quibus omnium Augustorum nomina de more inscribebantur, primùm sibi locum vindicabat; eademque mentis vesania agitatus, bellum rupto fœdere, Licinio intulit, ac cum innumerabili armatorum multitudine in Illyricum irrupit. Licinius collectis vndiquæ copijs, contra hostem processit, quem inito certamine, in fugam compulit, captis castris, ac vniuerso Maximini exercitu, qui cladi superfuerat, abiectis armis in victoris potestatem veniente. Maximinus vix è manibus hostium elapsus, celeri fuga in Asiam sese recipiens, Tharsum petijt, vt nouis copijs coactis pugnam repeteret. Tunc institutæ contra innoxios Christianæ legis professores persecutionis pœnitere, Deorum Sacerdotes trucidare, ac Christianorum Deum licet sero metuere. Audiatur Eusebius: *Post hæc, inquit, cum Christianorum Deo gloriam laudemque tribuisset, & absolutissimam atque vberissimam legem pro eorundem Christianorum libertate tulisset, mox grauissima aegritudine correptus, nulla ipsi dilatione concessa, extremum diem clausit.* Lib. 9. cap. 10.

Hæc contigisse anno 314. ineunte vere probatur ex edicto quod morti proximus Tyrannus publicauit, in quo hæc ait: *Superiore anno datis ad singulos prouinciarum Præsides literis statuimus, vt si quis adherere huic sectæ, & religionis illius obseruantiam sequi vellet, ei liceret absque ulla impedimento in proposito suo permanere.* At legem ad Præsides imperij sui direxit post edictum anno 313. mense Martio ab Imperatoribus Constantino, & Licinio ad se transmissum: quam quidem



dem legem cum testetur **SVPERIORE ANNO datam**, euidenter deducitur hanc alteram legem emissam anno 314. Profectò non video quomodo hæc à quopiam in dubium vocari possint, cum ipsa Tyranni edicta tam clarè & apertè loquantur. Doctissimus Valesius in notis ad cap. 10. lib. 9. scribit in hoc edicto appellari à Maximino epistolam datam ad Sabinum Præfectum Prætorio anno 312. quam Eusebius retulit cap. 9. Miror virum diligentissimum in tanta luce cespitasse. Eusebius in capite nono testatur Maximinum dedisse ad Sabinum epistolam pro Christianis, postquam accepit edictum quod pro iisdem Christianis Constantinus ac Licinius publicauerant; illud autem anno 313. emissum, post debellatum anno superiori 312. exeunte Octobri Maxentium, constat eodem edicto apud Eusebium lib. 10. cap. 5. in quo hæc leguntur: *Cum nos Constatinus ac Licinius Augusti, felicibus auspicijs Mediolanum uenissimus, &c.* Fuisse vero Constantinum Mediolani IV. Idus Martij se ac Licinio III. Coss. A. 313. L. 1. *de bonis vacantibus* ostensum est. Et quidem Sabinus per triennium fuisse Præfectum Prætorio in Oriente ex Maximini literis ad eundem datis colligitur. Cum anno 311. ante Martium Galerius edictum pro Christianis emisisset, Maximinus *nuda voce*, inquit Eusebius lib. 9. cap. 1. Sabino iniunxit, vt per literas prouinciarum Rectoribus significaret, Imperatores persecutionem aduersus Christianos inhibere. *At ne sex quidem integris mensibus* ostensam potius quàm datam pacem seruauit; Nam eodem anno plures Martyres in Phœnicia, Ægypto, ac Bithynia occidit, quorum præcipuos nominat Eusebius cap. 6. Petrus Patriarcha Alexandrinus passus est teste Eusebio lib. 7. in fine anno nono persecutionis Diocletiani VII. Kal. Decembris ex excerptis Chronologicis à Scaligero editis; annus autem nonus persecutionis fuit 311. Lucianus passus est anno ineunte 312. die 7. Ianuarij; quo tempore iussu Maximini Christiani ex vrbibus pulsi sunt. Tyranni literas recitat Eusebius lib. 9. cap. 7. Eadem verò persecutione anno 312. durante, pestis, bellum, ac fames subiectas Maximino prouincias innumeris cladibus deuastarunt, quas fusius cap. 8. recitat earundem oculatus testis. Ex his parèt anno tandem 313. Maximinum datis ad Sabinum literis decennali persecutioni finem imposuisse, quas sane literas cum in edicto abs se instante morte publicato, testetur **SVPERIORE ANNO DATAS**, euidentissimè luceat Tyrannum anno 314. imperium cum vita amisisse. Hoc ipsum demonstrant nummi iussu Licinij in honorem Maximini apud Sisciam percussi, in quibus cum sextus Maximini Augusti annus signetur, & post initia anni 308. primùm scalpti fuerint, vti capite superiori euicimus, anno 313. sexto Maximini Augusti percussi sunt, quo exeunte bellico apparatui rupto foedere, idem incubuit, ac vere appetente cum Licinio confligit. Idem duo insignia Numismata in hac Dissertatione explicata demonstrant. Etenim anno 316. III. Idus Nouembris ineunte anno decimo Licinij, postquàm anno 307. purpuram apud Carnuntum induerat, tertius eiusdem in Asia imperij annus labebatur; & rursus anno 317. circa Kal. Martij nondum idem tertius annus exierat, cum in nummo Tristiani percusso in designatione Licinij Cæsaris, quæ contigit A. 317. Kal. Martij annus, pariter Licinij tertius obsignetur, ex quibus deducitur Licinium post Kal. Martij A. 314. mortuo Maximino, imperium in Asia inchoasse. Extat apud Gualterium in antiquis inscriptionibus Siciliæ insigne hoc elogium.

R E.

**RESTITVTORI. LIBER  
 TATIS. AC FVNDATORI.  
 PVBLICAE. SECVRITATIS.  
 D. VAL. LICINIANO. LICINIO  
 PIO. FELICI. INVICTO. AVG.  
 DOMITIVS. LATRONIANVS.  
 V. C. CORR. P. S. DEVOTVS.  
 N. M. QVE. EIVS.**

Domitium Latronianum anno 314. fuisse Correctorem provinciae Siciliae colligitur ex epistola Constantini ad Chrestum Syracusanum apud Eusebium lib. 10. *Quoniam igitur, inquit, plurimos ex diversis ac propè infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intra Calendas Augusti iussimus convenire: tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo à viro clarissimo Latroniano Correctore Siciliae &c. intra eundem diem ad prædictum locum occurras.* Synodus autem Arelatensis habita est Volusiano & Anniano Coss. A. 314. Itaque hoc ipso anno ob debellatum Maximinum qui bello civili conflato, publicam Romani imperij securitatem turbauerat, laudata inscriptio Licinio victori dicata fuit. Author est Eusebius eundem Licinium Antiochiam profectum, Maximini ministros præstigiatorum, ac multorum criminum reos, tormentis prius excruciatos, neci tradidisse. Postea *Adiuncti sunt, inquit, his omnibus etiam Maximini liberi, quos ille iam imperij consortes, & titulorum atque imaginum participes fecerat.* Horum Cæsarum nomina ignorantur, cum nusquam vel apud historicos, vel in nummis appareant. Ita ab anno 314. anni imperij Licinij in Asia numerari coepti sunt.

His tamen obstare videtur Idatius, qui anno 314. VIII. Idus Octobris recitat prælium inter Constantinum & Licinium apud Cibolim in Pannonia, quod vix contingere potuit, si Licinius per æstatem Antiochiæ degisset, quod Eusebius testatur. Video Petauium in annum 315. Licinij cum Constantino bellum protrahere. At Gothofredus ex legibus à Constantino anno 315. datis Thessalonica, Sirmio, ac Naïssò, quæ Macedoniæ, Pannoniæ, ac Daciæ vrbes sunt, euidenter probat ante Octobrem illius anni Illyricum in potestatem Constantini venisse, ac proinde bellum gestum fuisse A. 314. quo VIII. Idus Octobris victo apud Cibolim, ac postea in Mardiensibus campis Licinio, Constantinus septemdecim Illyrici provincias cum Rhætia, ac Pannonia imperio suo adiecit, Asia & Orientali diœcesi vnà cum Thracia, Moesia minori, ac Scythia in Europa Licinio permissis. Rem fusiùs discutiam libro primo historiae Donatistarum. Interim certum est ante æstatem A. 314. nulla inter Constantinum ac Licinium dissidia exorta fuisse; etenim Constantinus VII. Kalend. Aprilis Volusiano & Anniano Coss. A. 314. Treuiris morabatur, ut patet ex L. 20. *de administrat. tutorum Cod. Iust.* Ibidem Lex. 8. *de Iudicijs* data iisdem Coss. Idibus Maij titulum præfert: *impp. Constantinus, & Licinius Augusti.* Quare id temporis pax inter vtrumque seruabatur; aliàs Constantinus publicum hostem neutiquam in legis eiusdem inscriptione secum iunxisset. Præterea in actis purgationis Cæciliani coram Æliano Proconsule Africae habitis Volusiano & Anniano Coss. legitur: *Apud Maximos Imperatores causa*

*agen-*

*agenda erit; & inferiùs: Constantinus Maximus semper Augustus & Licinius Caesar, ita pietatem Christianis exhibere conantur, &c.* Neque hic cum Constantino eiusdem hostis Licinius nominatus fuisset in iudicio habito in Africa, quæ ad Constantinum pertinebat. Huius causæ cognitionem ex actis proconsularibus D. Augustinus testatur habitam fuisse XV. Kal. Martias in fine lib. ad Donatistas post collationem.

### C A P V T III.

*Decennalia Constantini ac Licinij eodem anno acta. Fasti Panuini à Scaligeri censura vindicati. Vota quindecennalia ex nummis illustrata. Vicennalia bis solita nuncupari. Constantinus anno imperij decimo euoluto, Licinius inchoato decennalia dederunt. Vota decennalia soluta, & vicennalia nuncupata in hoc Licinij Numismate primum obsignata. Nummus Theodosij iunioris perperam V. C. expositus. Bullingerus erroris notatur.*

**A**nnus agebatur reparaæ salutis CCCXVI. Sabino & Rufino Coss. quo Licinius Augustus decennalia festa peregit. Hæc quidem nullis scriptoribus, aut antiquarijs memorantur; nam licet in nummis Occonis ac diligentissimi Patini legantur inscriptiones DN. LICINI AVGVSTI VOT. XX. incertum est, num ibidem designentur vota nuncupata anno decimo, vel potius quintodecimo imperij eiusdem; simili enim charactere vtraque vota id temporis in nummis exprimebantur, ut postea ostendam. Itaque vno hoc Serenissimi Cardinalis nostri Numismate vota decennalia Licinij soluta, & vicennalia nuncupata exponuntur, & quod nummo pretium quàm maximum augeat, annus eorundem decennalium numerali illa Græcorum nota Γ. indicatur, & insuper annus Liciniani imperij decimus non quidē exactus sed inchoatus exprimitur, quod nusquam in nummis sequiori Augustorum ætate obsignatis apparet postquam, anni Tribunitiæ potestatis à Claudij II. principatui in nummis omissi sunt. Constantinus exacto decimo imperij anno decennalia in Occidente splendissima pompa celebravit A. 316. VIII. Kalend. Augusti die natali imperij. Licinius eiusdem non tam in imperio collega, quàm æmulus, tertio postea mense III. Idus Nouembris die itidem natali imperij, eiusque anno decimo ineunte, decennalia in Oriente dedit, ne Orientales provincie, quæ ipsi parebant spectaculorum pompam Occidenti inuiderent. Hæc quod alijs scriptoribus partim negantur, partim ignorantur, paucis exponam.

Extat etiamnum Romæ propè amphitheatrum insignis arcus, ipsis Constantini decennalibus erectus cum hoc elogio.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO.  
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.  
QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS.  
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO.  
TAM. DE TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS.  
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS.  
REMPUBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS.  
ARCVM. TRIUMPHALEM. INSIGNEM. DICAUIT.

VOTIS. X.    { Sub sacrificijs }    SIC. X.  
VOTIS. XX.    { insculptis }    SIC. XX.

Baronius in annalibus Ecclesiasticis A. 315. scribit eo anno quo Constantinus decimum imperij auspicabatur, decennalia festa celebrasse, cuius sententiam subscribunt Tristanus tom. 3. pag. 584. in notis ad nummum Constantini iunioris, Caluissius in Chronico, alijque. Panuinus lib. 2. tabularum consularium Sabino & Rufino Coss. A. 316. ait: *Imperatoris Caesaris Constantini Augusti decennalia acta, & vota suscepta vicennalia*. Scaliger lib. 5. de emend. temp. pag. 476. cum initia imperij Constantini statuerit A. 307. D. 18. Septembris, vicennalia protrahit ad annum 327. & ex consequenti decennalia putauit acta A. 317. vbi pro summa sua auctoritate censuram subijcit: *Hactenus in his omnibus peccatum est à fastorum & chronologiarum conditoribus quamuis summae eruditionis & magni in literis nominis*. Panuini nostri calculos accuratissimè ductos ex insigni nummo Cl. Patini ostendam, ac vniuersam hanc controuersiam penitus tollam, vt planè sperem fore vt nullus deinceps annum decennalium Constantini in dubium vocet. Igitur doctissimus idemque amicissimus Carolus Patinus pag. 467. Numisma profert inscriptum CRISPVS N. C. COS. II. cum epigraphe in postica parte: BEATA TRANQVILLITAS, & in basi, seu ara VOTIS XX. Hoc Numisma sculptum est anno 321. quo Crispus, & Constantinus FF. Cæsares consulatum secundum gessere. Scribit Scaliger Constantiniani imperij fastos esse corruptos. At hæc excusationis loco obtrudit, quo chymericam illam chronologiam annorum Imperatoris Constantini vni sibi somniatam defendat.

Certum est Synodum Romanam à Melchiade celebratam fuisse die 2. Octobris anno 313. quod ex caractere feriæ euidenter euincitur. Porro D. Augustinus à Synodi eiusdem die vsque ad III. *Nonas Maias Crispo & Constantino iterum consulibus* in libro ad Donatistas post collationem cap. 33. numerat annos septem, ac menses exactos sex. Itaque duo illi Cæsares iterum consules processere A. 321. Duo alia collegia consulum ibidem S. Doctor recitat cum supputatione annorum ac mensium, vbi cum fastis Panuini qui tamen locum S. Patris ignorauit, planè concordat; & quidem viuentis Augustino fasti consulares in archiuis publicis exacti, & incorrupti seruabantur. Præterea in antiquo fragmento consulari edito à Bucherio pag. 250. scribitur: *Crispe II. & Constantino II. Sol*. Quo vltimo verbo designatur iisdem consulibus Kalendas Ianuarias incidisse in diem *Solis*, seu vt Christiani loquimur, diem Dominicum. Est infallibilis character anni eiusdem 321. cuius prima dies fuit Dominica Cyclo Solis XXII. Lunæ XVIII. lit. A. Volo hic Constantiniani imperij fastos stabilire ex insigni inscriptione, quæ eiusdem ferè exempli in duplici lapide Parmæ, ac Patauij legitur. Exhibet eandem Gruterus pag. 159.

D. N. IMP. CAES.  
CONSTANTINO. P. F.  
VICTORI. AVG. PONT.  
MAXIMO. TRIBVN.  
POTESTAT. XXIII. IMP.  
XXII. COS. VII. P. P.  
PRO. COS. &c.

In fastis Panuini A. V. Capitolino 1081. ponuntur Coss. Constantinus Aug. VIII. & Constantinus Cæs. IV. Æræ vulgaris 329. Itaque ante octauum consularum Constantinus Augustus inierat annum Tribunitiæ potestatis, seu imperij XXIII. At si imperium cepisset, ut Scaliger contendit, anno 307. Tribunitia eiusdem potestas XXIII. inchoatur anno 329. ac proinde coincidit cum consulari octauo eiusdem. Quare cum in laudata inscriptione dicatur Trib. Pot. XXIII. Coss. VII. in annum 306. eiusdem initia retrahenda sunt. Ex quibus patet non solum fastos consulares optimè digestos fuisse, verum etiam ineptè prorsus Constantini decennalia anno 317. & vicennalia A. 327. ab eodem Scaligero alligari, qui tamen vibrante supercilio, ut ait poeta, clamabat *in omnibus peccatum esse à fastorum conditoribus*. Ceteri verò laterculi consulum imperij Constantiniani ex eiusdem legum subscriptionibus nullo labore apud Gothofredum initio tom. 1. Cod. Theod. leguntur.

Quod autem eadem decennalia minus rectè statuantur ad A. 315. ex laudato Crispi Numismate manifestè demonstratur. Etenim certum est non designari ibidem vicennalia Crispi; nam anno 321. quo cos. II. processit, annum quintum imperij auspicabatur, ut ex Idatio, & Nazario postea ostendam; designatus enim fuit Cæsar Kal. Martij A. 317. Idem verò Crispus A. 324. gessit tertium consulatum collega Constantino fratre item cos. III. Quare cum vicennalia in nummo iungantur cum altero Crispi consulatu, cetera dubium. Constantini patris vicennalia ibidem exprimuntur, quæ solutis votis quindeccennalibus anno 321. die 25. Iulij Crispo II. Cos. nuncupauit. Nazarius in insigni panegyrico, quem in quinquennalibus Crispi ac Constantini iunioris recitauit, hæc ait: *Quintumdecimum annum maximus Princeps salutaris imperij degit, sed auguramur iam vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate fectimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudijs habent, sed in destinatis decennijs iam vota properantia & spes volucres confiterunt*. Hanc orationem habuit Kal. Martij A. 321. die natali Cæsarum, quo tempore Constantinus quintumdecimum imperij annum debebat; siquidem A. 306. die 25. Iulij illud inierat; illis verò verbis: *iam auguramur vicennalia*, designat post quatuor statim menses vicennalia Constantini Augusti, solutis quindeccennalibus, suscipienda esse. Hoc idem patet ex panegyri Porphyrij Opatiani eodem anno 321. acrostico carmine exarato, in quo rubris characteribus scribitur: AVG. XX. CAESS. X. ille enim tum Augusti patris vicennalia, tum filiorum Cæsarum decennalia, quod eodem anno concurrebant, eodem carmine celebrauit. Hinc diserte canit:

*Sancte Pater, Reſtor ſuperum VICENIA lata*

*AVGVSTO, & DECIES crescant ſolemnia NATIS.*

Hæc vota quæ anno imperij decimoquinto soluebantur, dicebantur quindeccennalia, quæ licet nullis ferè scriptoribus hoc nomine memorentur, in nummis tamen Augustorum indicantur. Extat apud Occonem Numisma inscriptum: FL. IVL. CONSTANTIVS P. F. AVG. & in postica parte: FELICITAS ROMANORVM; & in medio laureæ: VOT. XV. MVLT. XX. Item in Gratiani nummo: VOT. XV. MVLT. XX. Hæc quindeccennalia Gratiani laudat Symmachus lib. 10. epist. 26. ad Valentinianum iuniorem, cuius verba cap. 4. recitabo. Extat etiam parvus Theodosij iunioris nummus

apud eximium virum Apollonium Bassetum signatus: VOT. XV. MVLT. XX. Augusti anno imperij decimo nuncupabant vota vicennalia; exacto verò quinquennio vota pro dimidia parte secundi decennij feliciter peracti soluebant, & iterum vicennalia repetebant. Imò obseruo ex rarissimo nummo apud Occonem solutis votis decennalibus suscepta vota quindecennalia, ac vicennalia. Est Numisma Fl. Constantis Constantini Aug. F. inscriptum: VOT. X. MVLT. XV. XX. *Vota decennalia multis quindecennalibus, vicennalibus.* Legitur in nummis Constantij: VOT. XX. MVLT. XXX. & rursus. VOT. XXV. MVLT. XXX. & VOT. XXX. MVLT. XXXX. & pariter VOT. XXXV. MVLT. XXXX. Illa vota dicebantur tertia, quinta, septima quinquennalia, & Marcellinus in Chronico laudat octava, & nona quinquennalia Theodosij iunioris. Cum Augustus exacto primo imperij decennio, rursus in quinquennium Romanæ rei administrationem suscepisset, Agrippa altero statim anno teste Dione lib. 54. *ludos quinquennales propter eiusdem principatum dedit.* Posteriores Augusti quindecennalia vocarunt, quòd exacto tertio quinquennio imperij edebantur. Hæc adnotata volui, quòd eorum cognitio planè necessaria est ad intelligenda vota vicennalia Constantini anno 316. suscepta, vt ex actu Romano pater, & iterum anno 321. nuncupata, vti ex nummo Crispi, nec non Nazarij, & Porphyrij panegyricis indicaui; præsertim cum vicennalium iteratio tum historicos tum antiquarios plures latuerit; siquidem cum legebant VOTA XX. decimo tantum imperij anno eadem ab Augustis nuncupata arbitrabantur, cum anno quoque quintodecimo concepta fuerint, & iisdem omnino characteribus in nummis obsignata. Hæc suboluit Tristanus tom. 3. pag. 568.

Ex his evidenter demonstratur annus decennalium Constantini; nam cum iterum vota vicennalia suscepit A. 321. Crispo II. Cos. quindecennalia egit anno imperij quintodecimo exacto, nempe tertio augustæ dominationis quinquennio euoluto; ac proinde decennalia soluit anno 316. cum exacto primo alterius decennij quinquennio, A. 321. vicennalia conceperit: quæ sanè sexto secundi quinquennij anno nuncupasset, si anno 315. decennalia celebrasset, quemadmodum Baronius alijque contendunt. Hanc decennalium Constantini chronologiam eruditissimi Patini nummo acceptam fero, cuius beneficio annus decennalium maximi Principum celeberrimis scriptoribus controuersus, extra dubium ponitur A. V. C. 1069. Christianæ epochæ 316. VIII. Kal. Augusti. In fastis Idatianis: *Constantino VII. & Constantino Cæs. Coss. Edidit vicennalia Constantinus Roma.* Est annus 326. In calce etiam Chronici Eusebiani legimus: *Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Roma edita.* Anno 325. ineunte vicesimo imperij, Constantinus, cum in exitu esset Synodus Nicæna, vicennalia peregit ex Sozomeno lib. 1. cap. 24. anno verò 326. Romæ more veteri, nempe exacto altero decennio imperij, celebrata fuerunt; ac proindè anno 316. Romæ decennalia eiusdem acta sunt; alias si in annum 315. retrahantur, vndecimo anno euoluto, decennalia secunda præter morem Romani soluissent.

Hæc decennalia Constantini A. 316. in Romano Orbe ingenti populorum lætitia peracta, in inuidia, ac planè odiosa Licinio fuere quem iamdiu liquor erga collegam Augustum vrebatur. Hinc ne vnus Constantinus inter celeberrimam

rimam decennialium pompam in ore Romanæ gentis versaretur, decrevit decennialia anticipare; quare anno statim decimo imperij ineunte, nempe ex statuta cap. 1. chronologia III. Idus Nouemb. eodem A. 316. vertente, vota decennialia soluit, ac vicennialia suscepit, quæ in Mediceo Numismate ita obsignata sunt: SIC X. SIC XX. Et quidem Licinium anno decimo ineunte, non autem exacto decennialia dedisse ex eiusdem insignis Numismate inscriptionibus constat? Etenim ibidem visitur F. qua numerali Græcorum nota tertium imperij annum designari ex innumeris Numismatibus antiquarijs omnibus compertum est. Cum verò constet non exprimi ibidem annum tertium imperij, ex quo A. 307. purpuram à Galerio accepit (neque enim anno tertio decennialia egisset) colligitur designari ibidem An. tertium Liciniani imperij in Asia, quod cum initium habuerit A. 314. vt cap. 2. ex Maximini edictis ostendi, anno 316. III. Idus Nouembris die Natali Licinij, tertius eiusdem in Asia Augusti annus labeatur, qua die ineunte imperij decimo decennialia vota soluit, ac vicennialia nuncupauit, quæ solemnia si decimo imperij anno euoluto celebrasset, nummus A. obsignatus appareret, cum A. 317. quartus ab Asia occupata eiusdem imperij annus fuisset. Hoc idem ex altera eiusdem Numismatis inscriptione lucet: OB. DV. FILII SVI. Etenim anno 317. Kal. Martij, vt ex Idatio, ac Chronico Alexandrino constat, Licinius Licinij Augusti filius, designatus fuit Cæsar; cuius sanè dignitas inscripta legeretur, nempe: OB. DV. CAES. NOB. vel CAES. F. quod cuique vel leuiter in re antiquaria versato compertum est, si die 11. Nouembris A. 317. decimo imperij confecto, decennialia celebrasset. Quare cum sine Cæsaris titulo Licinij Augusti filius in nummo inscribatur, decennialia eiusdem acta sunt A. 316. filio nondum in imperij consortium vocato. Hæc Licinij decennialia anno decimo imperij ineunte, non verò exacto peracta, sine exemplo fuere; etenim ab omnibus retrò Augustis semper decimo anno euoluto celebrata fuerant, quod ex nummis peculiari dissertatione ostendam. Vnus Postumus qui in Gallijs imperante Gallieno, purpuram vsurpauit, ineunte decimo anno tyrannidis, decennialia vota soluit, vt patet ex eiusdem nummo apud Tristenum. Ex quibus elicitor Licinium inuidia stimulante, statum decennialium tempus anticipasse. Fateor Diocletianum & Maximianum, & fortè Antoninum Seueri Aug. F. vicennialia vicesimo imperij anno inchoato peregisse; quamuis exemplo Licinij posteriori æuo Augusti decennialia prima, de his enim loquor, inito statim decimo regni anno soluerunt. De Theodosio iuniore testatur Marcellinus Comes in Chronico ad consulatum Honorij X. & Theodosij IV.

Illud autem peculiare habet hoc Licinij Numisma, quòd in ipso primùm decennialium solutio, & vicennialium susceptio diuersa planè inscriptione, quàm antiquitus fieri consuevit, exprimantur. Etenim priori æuo neutriquam in eisdem nummis votorum solutio, & nuncupatio obsignabatur. Extant Antonini Pij, & M. Aurelij Numismata inscripta: VOTA SOL. DECENN. & rursus alia cum epigraphe VOTA SVSCEP. DECENN. II. Præterea in aliorum Principum nummis legimus VOT. X. & VOT. XX. Nullius hucusque ab antiquarijs nummus exhibitus fuit, in quo Imperatorum qui ante Licinium Romanum Orbem rexere, vota decennialia soluta, ac vicennialia concepta vnà simul exprimantur. Possit fortassis quandoque talis inscriptio ante

te



te Licinium reperiri: hoc tantum assero, haecenus inuentam non esse. Hoc anno 316. eadem primum apparuit Romae in arcu triumphali Constantino dicto, in quo legimus VOTIS X. VOTIS XX. & rursus: SIC. X. SIC. XX. cuius inscriptionis æmulatione eodem anno decennalia Licinij in nummo inscripta sunt SIC. X. SIC. XX. nempe *sicut decennalia sic vicennalia*. Et quidem hic designari vota tum soluta illis notis SIC. X. tum nuncupata SIC. XX. patet ex Constantis nummo apud Trifanum tom. 3. pag. 607. ita inscripto: FL. IVL. CONSTANS PIVS FELIX AVG. & in altera parte in laurea: SIC. V. SIC. X. Constans ex fastis Idatij designatus fuit Cæsar Dalmatio & Xenophilo Coss. A. 333. VIII. Kal. Ianuarias; idem ab ante diem XI. Kal. Iunias A. 337. mortuo Constantino Magno patre, ex Cæsare euasit Augustus; quare cum in nummo inscribatur *Augustus*, designantur ibidem vota quinquennalia, quæ initio delatæ purpuræ susceperat, post quinquennium soluta, & vota in decennium nuncupata; ac proinde legendum est in Liciniano Numismate; SICVT X. *feliciter* acta sunt, SIC. XX. æquè *feliciter* peragantur. Extat antiqui lapidis inscriptio pag. 116. CAESARVM DECENNALIA FELICITER.

Obseruo aliam insuper inscriptionem Constantino ac Licinio imperantibus inuentam, qua in eodem Numismate priorum votorum solutio, & novorum nuncupatio exprimebatur, quæ postea alijs antiquatis, ferè sola in vfu fuit. Extat apud CL. Patinum Licinij Cæsaris nummus cum epigraphe VOT. X.....XX. & Constantini obsignatus VOTIS V. MVLTIS. X. nempe iterandis, seu agendis, vel vt Nazarius ait, extendendis. Inscripta id genus Numismata argentea Constantij, Iuliani, Iouiani, Valentiniani, & Valentis visuntur in Cimeliarchio Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI. Porro hic designari vota quinquennalia, vel decennalia soluta, & decennalia, vel vicennalia suscepta, patet ex nummo Occonis ita signato: FL. IVL. CONSTANTIVS P. F. AVG. & in laurea: VOT. XV. MVLT. XX. Constantius renunciatus fuit Cæsar A. 324. VI. Idus Nouembris ex Idatio ac veteri Kalendario apud Bucherium. Anno 334. vota soluit decennalia ac XV. nuncupauit. Anno 337. mortuo Constantino patre ex Cæsare Augustus dictus fuit, qui titulus cum in laudato eiusdem Numismate legatur, A. 339. vota quindecennalia soluit, & vicennalia nuncupauit. Hæc magnum Baronium fugere; siquidem A. 394. nummi ectypum exhibet cum epigraphe: D. N. THEODOSIVS P. F. AVG. vbi in postica duæ figuræ sedentes capite radiato conspiciuntur, addita inscriptione: VOT. XXX. MVLT. XXXX. *Vides, inquit, Theodosij senioris veram certamque; vultus effigiem;* addit in altera parte *Sacerdotali decoros habitu geminos illos quos in visu vidit Apostolos, Ioannem, & Philippum expressos reddi.* Ex ignorato tricennalium in nummis obsignatorum charactere, in alienam prorsus interpretationem descendit. Designantur ibidem Theodosij iunioris tricennalia vota soluta, & nuncupata simul quadragennalia. Scribit Marcellinus in Chronico: *Theodosio XII. & Valentiniano III. Coss. A. 430. Theodosius Imperator tricennalia gessit.* Profectò Theodosius senior cum diem obierit anno imperij decimo sexto, non potuit vota XXX. soluere, imò ne quidem suscipere. Hunc sanè eundem lapidem offendit Occo in nummis Theodosij senioris, quos profert inscriptos VOT. XXX. & TR. P. XXXII. COS. XVII. &c. cum Theodosium iuniorem ijdem exprimant; senior enim decessit TR. P. XVI. COS. III.



III. Bullingerus etiam initio lib. i. de imper. Rom. reprehendit Marcellinum; quod dixit, Theodosium celebrasse octaua, & nona quinquennalia; *Non satis video, inquit, qui Theodosius maior octaua & nona quinquennalia celebrarit, cum vix 30. annos ad imperij gubernacula sederit.* Pallam hallucinatur; etenim Marcellinus laudat octaua, & nona quinquennalia Theodosij iunioris, qui imperauit annos XLVIII. M. VI. D. XIX. ex quo IV. Idus Ianuarias A. 402. adhuc in fascijs mense ætatis nono Cæsar designatus fuerat. Idem verò Bullingerus quatuordecim annos imperij seniori Theodosio supra sedecim, quos idem in imperio vixit, quod nihil de suo largiebatur, liberali stylo donauit. Ceterum in nummo ab eruditissimo scriptore prolato, non designari geminos Apostolos habitu sacerdotali exornatos, sed Imperatores Theodosium ac Valentinianum certum est; præsertim cum Valentinianus minor consobрино appareat, quippe qui anno 430. quando illud Numisma sculptum fuit, annum agebat ætatis decimum. Imperatores verò radiato capite, quemadmodum nostra ætate Diuorum imagines, in nummis passim exprimi solitos, docent eorundem Numismata apud Alamanum in notis ad arcanam historiam Procopij, & Patinum pag. 497. Tristanus eruditè notat in nummis in quibus vota soluta & suscepta medijs illis notis MVLT. designantur, quandoque exprimi vtraque vota nuncupata. Et quidem in gaza Medicea extat Numisma inscriptum D. N. MAGNENTIVS P. F. AVG. & in postica parte: VICT. DD. NN. AVG. ET CAES. VOT. V. MVLT. X. Cum Magnentius à Constantio victus, manus sibi intulerit anno tertio ac mense septimo imperij, vota quinquennalia non soluit, ac proinde vtraque vota nuncupata in laudato nummo signata sunt. Idem constat in nummo argenteo Iouiani apud Ser. Card. LEOPOLDVM cum epigraphe VOT. V. MVLT. X. Iouianus enim mense imperij octauo improuisa morte decessit.

#### C A P V T IV.

*In Mediceo Numismate illis notis OB DV. non designari data quinquennalia Licinij iunioris, sed oblationem deuotam eiusdem decennialibus Augusti Patris exhibitam. Imperatorum largitiones tempore decennialium deuotis prouincialium oblationibus refarcite. Licinium iuniorem decennialibus Patris nondum Cæsarem fuisse ex eodem Nummo demonstratur.*

**I**Nitio quidem, vt ingenuè fatear, arbitrabar illis notis OB DV FILII SVI designari Licinij iunioris quinquennalia, easque ita interpretabar: OB DATA QVINQVENNALIA Filij sui. Etenim ea phrasi quinquennalium celebratio passim expressa habetur apud Marcellinum in Chronico, qui subinde ait: *quinquennalia dedit, decennialia dedit*; quam loquendi formulam fuisse etiam Græcis familiarem eruditè notat Scaliger lib. 5. de emend. temp. pag. 470. Huic tamen explicationi duo obstare vidi. Primum quod Marcellinus ea phrasi apertè designat quinquennalium solutionem, non verò nuncupationem; etenim Theodosio XVII. & Festo Coss. A. 439. ait: *Theodosius Imperator octaua quinquennalia edidit.* Post quinquennium A. 444. *Nona quinquennalia dedit.* At idem scriptor Arcadio VI. & Probo Coss. A. 406. ait: *Theodosius iunior quinquennalia dedit*, quæ, vt calculos ducenti patet, prima Marcellino statu-

tuuntur, ex quo Theodosius A. 402. renunciatus fuerat Cæsar. Itaque idem est dare quinquennalia, ac soluere, non verò eadem suscipere, aut nuncupare. Rursus inscriptio basi legenda foret: *Sic decennalia, sic vicennalia* feliciter dentur; qua ratione vnà simul facta fuisset quinquennalium, decennalium, ac vicennalium nuncupatio, quæ sanè tot votorum anticipata susceptio sine exemplo, ac præter illorum solemnum institutum pro arbitrio fingeretur. His denique accedit Licinium iuniorem dubio procul inscribendum fuisse Cæsarem, si eiusdem quinquennalibus idem nummus obsignatus fuisset, quemadmodum constat ex omnibus nummis, in quibus eiusdem, & aliorum Cæsarum vota V. exprimuntur. Hoc ipsum vetat, ne quinquennalium Licinij iunioris solutio intelligi possit; quæ cum data fuerint A. 311. nummus obsignatus fuisset nota numerali Z. qua septimus Liciniani in Asia imperij annus indicaretur. Itaque pro comperto habeo non significari Licinij Cæsaris quinquennalia, sed Licinij Augusti vota decennalia soluta, & vicennalia nuncupata.

Hinc vnâ & alteram illarum notarum OB DV interpretationem subijcio. Prima est: OB DICATA VOTA FILII SVI. Etenim cum inter decennalium solemnities non modò Imperatores pro sua, & Romani imperij incolumitate, verum etiam Vrbes, magistratus, ac singuli quique pro salute Principis vota nuncuparent, Licinij pueri Nobilissimi vota decennalibus Licinij Augusti patris ab eodem suscepta, in insigni Numismate explicantur, ac *dicata vota* nuncupantur; qua planè phrasi utitur Silius Italicus lib. 7.

*Iunoni pallam conceptaque VOTA DICABANT.*

Illis autem literis D. & V. *dicatum* ac *votum* significari colligitur ex innumeris lapidum inscriptionibus Dijs dicatis initio thesauri Gruteriani.

Altera interpretatio est: OBLATIO DEVOTA filij sui. Extat in lib. 7. Cod. Theod. insignis titulus de *Oblatione votorum*, vbi hoc Arcadij & Honorij rescriptum laudatur: *Quando VOTIS communibus felix annus aperitur, in vna libra auri solidi septuaginta duo obryziaci Principibus OFFERENDI DEVOTIONEM animo libenti suscipimus.* Ita inter *votorum* solemnities oblatio deuota laudatur. Hæc votorum nuncupatio pro incolumitate Imperatorum fiebat III. Non. Ianuarias, quæ dies in Kalendario veteri inscribitur *nuncupatio votorum*; quod etiam patet ex nobili inscriptione apud Gruterum pag. 118. Hanc votorum susceptionem præcedebat oblatio deuota strenarum, quæ Imperatoribus in signum obsequij Kalend. Ianuarijs dabantur, de quibus eruditè Gothofredus in commentario ad eandem legem, & Bullingerus lib. 2. de Imp. Rom. cap. 27. De eisdem antiquus Poeta canit apud eundem Bellingerum.

*Strenæ præterea nitent  
Plures aureolæ munere regio  
Iani principijs auspicio data,  
Faussto temporis omine,  
Vt ferret ducibus strenuis,  
Annus gesta recentior.  
Illas nobilitas Cæsaribus pijs,  
Rex dignis procerum dabat.*

Solebant Augusti inter decennalium solemnities nummos in populum spargere.

re, ac militem ingenti donatio ditare. Seuerus suis decennialibus *bis millies sesterium* impendit, teste Dione in excerptis Xyphilini. Ea pecuniæ summa quinque-millions scutorum Romanæ monetæ conficit. Constantinus Augustus suis vicennialibus *uniuersis populis*, vt ait Eusebius lib. 3. de vita eiusdem cap. 22. *tam ijs qui per agros, quam qui in urbibus habitabant, magnam pecunia vim distribui iussit*. Profusam tam prodiga manu pecuniam nullus ad calculos reuocauit. Profectò ob eximias hæc largitiones Constantinum vulgò ignominia causa *Tracalam* appellatum, testatur Victor in epitome, cuius scommatis originem plerique frustra diuinare conati sunt; vnus tandem rem nobis explicuit Illustrissimus Suaresius, lucem præferente MS. Sexti Rufi ex bibliotheca copiosissima ac planè regia Eminentissimi Francisci Barberini sacri Senatus Principis ac de Republica literaria vltra inuidiam & omne præconium benemeriti. Ceterum Imperatores opima congiaria ac profusa donatiua quibus plebis acclamationes ac militum obsequia sibi mercabantur, ex prouincialium tributis & frequentibus indictionibus constabant; nihil sanè largituri, si nihil à subditis abstulissent, vel certè accepissent. Vnus Traianus Augustorum optimus, Plinio celebratur in panegyri, quòd congiarium daret de suo, alimenta de suo, quodque, inquit, *gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi quod nemini est ereptum, locupletatisque tam multis, pauperiorem esse factum Principem tantum*. Sed ne Traiano quidem in paternis agris apud Italicam aurea illa messis succreuit. Donauit spolia Germanica, Dacorum manubias, subditorum tributa. Hinc factum est, vt dispendia largitionum quas suis decennialibus maximas Augusti faciebant, ex deuota oblatione subditorum supplerentur. Extat infigne testimonium Symmachi lib. 10. epist. 26. ad Valentianum Imperatorem: *Senatus, inquit, salutare tuum Numen precatur, vt in hac OBLATIONE quæ non nihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum, ne sub te minus posse videamur. Nam Diuis Parentibus tuis ob DECENNIVM singulis minor summa decreta est. Etiam Diuus frater Mansuetudinis vestrae cum TERTIVM LVSTRVM cui imperialis exigeret parciore munificentia honoratus asseritur: Nunc in amorem tuum studia nostra creuerunt: Nam millo sexcentas auri libras DECENNALIBVS Imperij fastis DEVOTVS Ordo promisit &c.* In his habemus oblationem deuotis Senatus in festis decennialibus, ac quindecennialibus Imperatorum. Vna vrbs decennialibus Valentiniani iunioris mille ac sexcentas libras auri eidem dono dedit, hoc est Romanos scutatos 288000. etenim ex lege 13. de susceptoribus emissà à Valentiniano seniore A. 367. ac laudato superius rescripto Honorij dato A. 391. septuaginta duo solidi libram auri conficiebant; solidus verò valebat Romanæ monetæ denarios, seu vt vocant, iulios vigintiquinque, vt eruditè tradit doctissimus I. Fredericus Gronouius lib. 4. de pecunia veteri cap. 25. & alibi passim ex Dione lib. 55.

Cum Licinij Augusti decennalia peragerentur, Præfecti prouinciarum, magistratus urbium, ac Corpora artificum deuotam oblationem pecuniarum Licinio de more faciebant; qua in re ne Licinius Licinij Augusti filius ab alijs superari videretur, donum deuotus obtulit, nempe ingentem vim aureorum, eiusque oblationis memoriam in nummis obsignatam posteritati commendauit. Quare vbi in Symmacho legimus *oblationem deuoti Ordinis, decennialibus Valentiniani*: ita decennialibus Licinij Imperatoris inscripta est in nummo

H

oblatio

*oblatio deuota filij sui*. Et quidem literas OB. apud veteres significasse *oblatam*, seu *oblationem*, testatur Manutius. Alteras verò notas DV. *deuotum* exprimere docent Paulus Diaconus de notis literarum, & Magno de notis iuris, vbi legit DB. siquidem prisca ætate promiscuè *deuotus* ac *debotus* dicebatur. Hæc ipsa tradit ex laudatis scriptoribus Eques Sertorius Vrsatus generis claritate ac eruditionis fama illustrissimus in præclaro opere de notis Romanorum.

Ex eadem inscriptione intelligitur annus quo Licinius iunior designatus fuit Cæsar. Panuinus lib. 2. fastorum Crispi, Licinij, ac Constantini Cæsarum inaugurationem statuit anno 314. Baronius, Tristanus, & Caluissius in annum 315. eandem referunt. Prosper in Chronico à doctissimo Labbeo publicato, illam collocat ad annum 316. Reformator chronologiæ scribit Crispum & Constantinum iuniorem creatos Cæsares anno 315. Licinium verò renunciatum A. 317. Hæc tamen postrema opinio aduersatur antiquis omnibus scriptoribus Zosimo, Victori Schotti, Anonymo in excerptis apud Valesium, Idatio, Prospero, Auctori Chronici Alexandrini, Eusebio in Chronico ex interpretatione Hieronymi, qui vno consensu tradunt vnà simul designatos fuisse Cæsares, Crispum, Licinium, ac Constantinum. Verum ex fastis Idatianis ac Chronico Alexandrino hoc nostro seculo in lucem editis, res tandem innotuit. Scribit Idatius: *Gallicano & Basso A. 317. His Coss. leuati tres Cæsares, Crispus, Licinius, & Constantinus die Kal. Martij*. Nazarius initio panegyrici ait: *Quintumdecimum annum maximus Princeps Constantinus salutis imperij degit, sed auguramur iam vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudijs habent &c.* Habita est hæc oratio Kalendis Martij die natali Cæsarum Crispi ac Constantini, cum ineunte anno quinto vota quinquennalia soluerent, ac decennalia susciperent. At anno 321. Kal. Martij Constantinus agebat annum XV. imperij, & ex consequentia die festa quinquennalia Cæsarum acta sunt, quod etiam ex Porphyrio patet qui eodem anno ait suscepta vota X. Cæsarum, ac XX. Constantini. Verba eiusdem laudau cap. 3. vbi ex Patini nummo vicennalia Constantini nuncupata probantur A. 321. Itaque nec cum Panuino A. 314. nec cum alijs A. 315. Licinij & aliorum Cæsarum inauguratio statuenda est, ne quinquennalia dicantur soluta anno septimo, vel sexto euoluto, ex quo Cæsaris dignitatem acceperant: Ex Mediceo Numismate, atque altero Tristani cap. 1. explicato, Idatij sententia demonstratur. Licinius iunior in nummo decennialibus Augusti Patris nempe III. Idus Nouembris A. 316. non inscribitur Cæsar; neque enim legimus OB. DV. CAES. F. SVI. sed præcisè: OB DV FILII SVI; ex quibus rectè superius inferebam, Licinium nobilissimum puerum nondum id temporis fuisse Cæsarem. At in Tristani nummo legitur DD. NN. IOVII LICINII INVICT. AVG. ET CAES. Quare cum percussus fuit nummus, Licinius iunior Cæsaris appellationem acceperat. Vtrumque Numisma obsignatur numerali nota r. qua tertium Liciniani in Asia imperij annum indicari cap. 2. monstraui, & iterum cap. 6. ostendam; tertius autem eiusdem Licinij annus exit circa Maium A. 317. ex ibidem stabilitis. Hinc Licinij Cæsaris designatio intra III. Idus Nouembris A. 316. & Maium anni subsequentis claudenda est; ac proinde rectè statuitur in fastis Idatianis, & Chronico Alexandrino Kalendis Martij A. 317. Gallicano & Basso consulibus. Ita  
anti-

antiquissimi fasti cum Mediceo Nummo concordant; imò eisdem ex tam infir-  
gni Numismate integra fides asseritur.

His vt ingenuè fatear, videtur ob stare antiqui lapidis inscriptio quam re-  
citant Panvinus A. V. C. 1067. & Gruterus pag. 284. 7.

FLAVIO. VALERIO. CRISPO.  
NOBILISSIMO. CAES. FILIO.  
CONSTANTINI. MAXIMI.  
ADQVE. INVICTI. SEMPER. AVG.  
ET. NEPOTI. DIVI. CONSTANTII.  
OVINIUS. GALLICANVS. V. C.  
PRAEF. VRB. ET IVDEX. SACRARVM.  
COGNITIONVM. DEVOTVS.  
N. M. Q. EIVS.

Quinius Gallicanus ac Bassus fuere consules ordinarij A. 317. quare cum im-  
posito epigrammate non inscribamur **CONSVL**, sed tantum *Præfectus Vrbi*;  
videtur colligi eandem inscriptionem dicatam fuisse A. 316. quo Gallicanus,  
vt patet ex indice Præfectorum Vrbi, eundem magistratum gessit. Antequam  
in rarissimum Serenissimi Principis nummum inciderem, arbitrabar Idatij fa-  
stos ex laudata inscriptione emendandos; neque enim legebam Gallicanum  
consulem, sed Præfectum V. cum tamen consulatus in virorum illustrium qui  
eundem gesserunt, inscriptionibus semper appareat, erat enim dignitas infra  
imperatoriam omnium maxima. Verum ex libello de Præfectis V. Cuspinia-  
no primùm inuento, res tota aperitur. Quinius Gallicanus, vt ibidem patet,  
designatus fuit Præfectus V. A. 316. Cofs. *Sabino, & Rufino*, pridie *Nonas Au-*  
*gusti*; anno verò 317. successorem accepit *idibus Maij Septimium Bassum*. Qua-  
re A. 417. Kalend. Martij die Natali Cæsarum erat præfectus V. quemadmo-  
dum in vetusto illo lapide inscribitur. Nec tamen *consul* pariter nominatur,  
quia priori parte illius anni nondum ab Augustis Constantino & Licinio ordi-  
narij consules designati fuerant. Hæc in libello de præfectis leguntur: *Consu-*  
*les quos iusserint DD. NN. Augusti. Ex die XIII. Kal. Martij Gallicano & Basso*.  
Gallicanus priusquàm delati magistratus nuncium acciperet, inscriptionem  
illam in lapide sculpendam curauerat, vt eadem Kalendis Martij die natali  
Cæsarum, in honorem Crispi publico loco dicateretur. Degebat id temporis  
Imperator procul ab Vrbe in Dacia apud Serdicam, vbi die 16. Aprilis signa-  
uit *L. 6. ad l. lul. de vi publica Cod. Iust.* quæ prima est sub eodem titulo in Cod.  
Theodosiano. Quare cum die XXI. Kal. Martias Gallicanum consulem desi-  
gnauerit, ac publicauerit, is post dicatum Crispo epigramma; sui consulatus  
nuncium accepit.

Auctor est Aurelius Victor in epitome Licinium iuniorum *mensium fere vige-*  
*inti* Cæsarem creatum. In Zosimi lib. 2. viginti annorum *perperam* scribi-  
tur, cum anno 313. Constantia Licinij Cæsaris mater, Licinio Augusto iun-  
cta fuerit, anni pro mensibus siue Zosimi, siue amanuensium errore positi sunt.  
Cum Licinius creatus fuerit Cæsar Kalendis Martij A. 317. decennialibus *Au-*  
*gusti* patris sedecim mensium puerulus erat, natus anno 315. mense Iulio. Ex

his deducitur oblationem deuotam decennialibus Licinij Augusti nequaquam exhibitam fuisse à puerulo Cæsare Licinio, sed nomine eiusdem à Senatu Nicomediensi, vt tam munifica adulatione Imperatoris gratiam captaret.

## CAPUT V.

*Domitianus IOVI CONSERVATORI Romæ sacellum dicat, ac eodem titulo nummos primum inscribit. Eadem inscriptio in Licinij Numismatibus frequentissima. Licinius Augustus nunquam Christianam religionem professus. Acta S. Basilei Amaseni à V. C. censura vindicantur. Philostorgius mendacj conuincitur. Collectores Synodi Nicænæ provincias in subscriptionibus confundunt. Amasia Helenoponti metropolis. Nulla huius nominis urbs in Armenia secunda. Martinianus Augustus Iouis conseruatoris titulo omnium postremus Nummos cudit.*

**I**nscriptio quæ in postica parte Medicei Numismatis visitur, facilis est, ac passim in alijs Imperatorum, præsertim verò Iouiorum, nummis occurrit, nempe : **IOVI CONSERVATORI**. Exprimitur ibidem Iuppiter sedens, manu dextra victoriolam tenens, sinistra longius sceptrum stringit, cum aquila dextrorsum ad pedes, in cuius rostro fertum apparet.

Tres id genus Licinianos nummos æreos cum iisdem figuris atque inscriptione Antiochiæ & Nicomediæ obsignatos, mihi ostendit Apollonius Bassetus Canonicus Laurentianæ Basilicæ idemque Serenissimo Magno Duci COSMO III. à secretis; in his autem Iuppiter non quidem sedens, sed stans conspicitur. In cimeliarchio Serenissimi LEOPOLDI extat nummus Diocletiani in Græcâ vrbe percussus, huic Liciniano ferè similis, cuius cætypum exhibeo.



Victoriola quam porrecta manu Iuppiter in Licinij nummo profert, indicat Licinium tum partas victorias Ioui acceptas ferre, tum noua ex hostibus trophæa ab eodem sperare. Sceptrum oblongum Numinis eiusdem potestatem Ethnicis somniatam exprimit; illum enim cœlum terrasque pro arbitrio, & vt ait Cicero lib. 2. de nat. Deor. *omnia nutu regentem* finxere. Hinc Venus apud poetam eundem alloquutura ait *Æneid. X. 18.*

*O pater, ô hominum, diuumque æterna potestas.*

Iouem verò cum aquila ad pedes passim adoratum, oculatus testis Lactantius tradit lib. 1. de falsa relig. cap. 11. *Nam quod aliud, inquit, arguentum habet imago Catamiti, & effigies aquila, cum ante pedes Iouis ponuntur in templis, & cum ipso pariter adorantur? Cum Iuppiter contra Titanos moueret, ac sacrificium in litore faceret, scribit ex Anacreonte Cæsar in Arato apud eundem Lactantium, aquilam ei in auspiciu aduolasse, quam victor bono omine acceptam, tutelæ suæ subingarit.* Hinc aquila Iouis ales, ac ministra apud poetas passim decantata.

Plurimis sanè epichetis Iuppiter apud Gentiles honorabatur, quæ in prioribus

ri parte operis Gruteriani leguntur; hinc acutè dixit Minutius Felix in Octa-  
uio, *tot sunt Iouis monstra, quot nomina*. Cum Licinius per adoptionem Gale-  
rij in familiam Diocletiani transisset, Iouij cognomen per summam ambitio-  
nem assumpsit, vt superius ostendi. Hinc eiusdem nummi Iouis effigie passim  
obsignati cum epigraphe IOVI CONSERVATORI. Domitianus incenso à  
Vitellianis Capitolio, clam elapsus, apud ædituum sese occultuit, postea, in-  
quit Tacitus lib. 3. hist. *potente rerum patre, disiecto ædificio, modicum  
sacellum IOVI CONSERVATORI, aramque posuit, casusque suos in marmore ex-  
pressit*. Extat nummus mediocris magnitudinis in gaza Serenissimi Magni  
DVCIS inscriptus: IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. X. &  
in altera parte: IOVI CONSERVAT. S. C. In antiqua Urbis descriptione  
in Regione XI. ponitur *sacellum Iouis Conservatoris*. Pausanias lib. 3. scribit  
propè Epidaurum fuisse templum Iouis cognomento *Sernatoris*: Διὸς ἐπὶ τῇ λατρίᾳ τῶν ἑσπερίων  
Idem lib. 8. laudat apud Megalopolim templum Iouis cognomento *Sernatoris*. At  
Iuppiter non hominum tantum, verum etiam & privatarum possessionum con-  
servator habebatur, sub hoc ipso titulo publicis inscriptionibus eidem dica-  
tis. Pag. 18. antiq. inscript. legimus: IOVI O. M. CONSERVATORI  
POSSESSIONVM ROSCIORVM &c.

Licinius vnà cum Constantino A. 313. publico edicto Christiani cultus  
exercendi facultatem fecerat, non quòd sanctissimæ religionis mysteria pro-  
baret, sed vt Constantino collegæ Augusto, Christianis sacris addicto, rem-  
gratam faceret, ac prouincialium beneuolentiam sibi conciliaret, dum super-  
stitiosos Gentilium ritus obseruans, Christianis verò liberam proprii cultus  
potestatem faciens, vtrosque ex æquo in officio, & obsequio futuros spera-  
bat. Ex illo tamen edicto quod toto Romano Orbe Christianis fauorabile  
publicatum fuerat, non modò Constantinus, verum etiam Licinius hostis  
Idolorum nostris hominibus creditus fuit. Auxit fidem quòd Licinius, cum  
profligato Maximino infensissimo Christiani nominis hoste, Antiochiam ve-  
nisset, in Iouis Philij Sacerdotes seuerè animaduertit, ac omnes, qui aduersus  
religionem nostram, inquit Eusebius lib. 9. cap. 11. *insolenter debacchati fuerant,*  
*capite damnauit*. Hinc Paulinus Antistes Tyri in dedicatione templi A. 314.  
pro concione tum Constantinum tum Licinium concelebrans dixit: *adeo vt,*  
*quod nunquam antea contigerat, summi Imperatores honoris illius quem Dei beneficio*  
*acceperunt, sibi conscij, iam in mortuorum simulacrorum faciem conspuant, & profanos*  
*Dæmonum ritus conculcent, ac vetustum errorem à maioribus traditum irrideant, vnum*  
*verò Deum cum erga omnes tum in se ipsos maxime beneficium agnoscant &c.* Christum  
Dei filium vniuersorum regem esse profiteantur. Apud Eusebium lib. 10. cap. 4. à  
quo lib. 9. cap. 9. vocatur Licinius *Θεόφιλος Dei amantissimus*. Imò in actis S.  
Basilei Martyris Episcopi Amaseni in Ponto hæc scribuntur: *Licinius igitur*  
*omnipotente D. N. Iesu Christi manu adiutus, quippe qui Christi fidem sincera anima*  
*tunc observabat, victoriam de Maximino reportauit*. Postea eiusdem apostasia de-  
scribitur: *Solus & veri Dei, omniumque creatoris confessionem reprobaui, idque*  
*post iurandum illud quod Dei amantissimo Imperatori Constantina sapius exposui,*  
*nullo unquam tempore se à Christianorum fide defecturum, sed illius se fore propugnato-*  
*rem*. Hæc scribit de Licinio Ioannes Nicomedientis qui eidem Imperatori  
conuixit, & in fine actuum per Deum lectorem obtestatus ait: *vi nihil subtrahas,*  
*neque*



neque quicquam illi addas. Ex his Licinius quandoque Christianæ religionis professor describitur.

Ego tamen arbitror nunquam Licinium Christianæ religioni nomen dedisse, sed Ethnicorum erroribus & quidem semper adhæsisse. Id nummi eiusdem testantur; etenim ab annis 314. quo Asiam obtinuit, hac inscriptione obfignantur: IOVI CONSERVATORI. Ita legitur in nummo laudati Basseti cum notis in inferiori parte: S. M. N. B. nempe: *signata moneta Nicomedie anno secundo eiusdem imperij in Asia*, hoc est, æræ nostræ vulgaris 315. Anno pariter 316: & 317. idem titulus visitur in nummis fusiùs mihi explicatis. Alterum Basseti Numisma cum eadem inscriptione exhibet in medio notam E. cum literis in postrema parte: S. M. ANTI. nempe *anno quinto imperij signata moneta Antiochia*: Anno Christianæ epochæ 308. At certum est Licinium anno 319. persecutionem contra Christianos instituisse; siquidem illius iussu Theodorus Dux insignis, quod Dijs sacra facere noluit, *ense fuit consummatus Februarij mensis die septimo, Sabbato, hora tertia*: in actis apud Surium die 7. Februarij. Est character anni 319. Cyclo Solis XX. Lunæ XVI. lit. D. Baronius ex depravata subscriptione legis primæ de Veteranis Cod. Theod. Licinio sex imperij annos aufert, cumque anno 318. ad priuatam vitam redigit. Hanc tamen opinionem eruditè refellit Petavius in paralip. de doctr. temp. pag. 861. eam certè prochronismi conuincit character feriæ, qua Theodorus asseritur sub Licinio passus, cuius obitus in annalibus A. 316. recitatur; cum tamen eo anno dies septima Februarij inciderit in feriam tertiam Cyclo Solis XVII. Lunæ XIII. lit. AG. Video hæc ipsa Bollando viro diligentissimo obseruata tom. 2. Men. Febr. ad acta S. Theodori. Eusebius lib. 2. de vita Constantini cap. 69. cum narrasset Galerium ac Maximinum insanabili morbo correptos, Christianorum persecutionem inhibuisse, addit: *Hæc cum Licinius non aliorum sermone didicisset, sed factis ipsis percepisset, tamen voluit densam quædam caliginem animo eius offusa, eadem quæ illi agere instituit*. Item Eusebius cap. 5. recitat orationem quam Licinius ad milites habuit priusquam aciem contra Constantinum instrueret. *Viri, inquit, amici, & commilitones; si quidem quos colimus, & quos ab ultimis usque maioribus colendos accepimus, Dijs sunt patrij. Iste verò qui aduersarum nobis partium copias ducit, moribus institutisque maiorum violatis, ad impiam nullos credentium Deos opinionem descinit, peregrinum quendam nescio unde quæsitum temerè amplectens Deum, &c.* Quæ quidem testatur Eusebius se accepisse ab ijs qui orationi eius interfuerant. Hinc patet eundem Deorum cultui à maioribus accepto, semper adhæsisse. Quid verò reponemus Ioanni Nicomediensi qui in actis memoratis S. Basilei Amaseni Episcopi, & martyris disertè affirmat Licinium quandoque Christianam fidem professum fuisse? Doctissimus Valesius in notis ad cap. 1. lib. 2. de vita Constantini non dubitat hanc censuram ferre: *Acta Basilei quæ apud Metaphrastam extant, inepta mihi videntur & fabulosa*. Etenim ibidem recitatur passio Basilei Amaseni Episcopi iussu Licinij interfecti, cum tamen Philostorgius lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. testetur adfuisse in Nicæna Synodo *ex Ponto Basileum Amasæ*, quod etiam apparet in fragmento Philostorgiano, quod adducit Niceta lib. 5. Thes. Orthod. fidei cap. 7. quod idem tradit Nicephorus lib. 8. cap. 4. Sanctus Athanasius oratione priori contra Arrianos scribit *ex Ponto magnum Basilium Nicæam ad Synodum venisse*.



venisse. Quid? Eusebius qui ceteros insigniores Episcopos à Licinio trucidatos laudat, nusquam Basilei Martyris meminit.

Fateor quædam in actis Basilei Amasiæ Episcopi parum veritati congruere; certè quæ de relegato in Gallias Licinio traduntur, omnium scriptorum testimonijs falsitatis conuincuntur; constat enim eundem tyrannum Thessaloniam relegatum fuisse. Quare hic idem Auctor potuit errare in ijs quæ de religione Christiana Licinij in literas misit: fortassis tamen excusandus, quod ex celebri edicto pro Christianis publicato antequam Asiam occuparet, sanctissimæ religionis professor palam ab absentibus creditus fuit. Nunquam tamen ausim omnem actis laudatis fidem abrogare, cum in martyrologijs Græcorum pariter ac Latinorum, itemque Chronico Eusebiano asseratur Basileus Amasiæ Episcopus sub Licinio Imperatore ob Christiani cultus professionem occisus. Eusebius in lib. 10. hist. Eccles. cap. 8. fusiùs crudelia Licinij in Episcopos gesta describens: *Modus porro, inquit, cædis quo illos sustulit, nouus planè nec ante vnquam auditus. Sed quæ apud Amasiam & reliquas Ponti vrbes perpetravit, omnem crudelitatis modum transcendunt.* Eadem repetit lib. 2. de vita Constantini cap. 1. vbi quamuis neminem Præfulum tyranni iussu extinctorum nominatim laudet, Basileum tamen in illorum numero fuisse suadet instituta apud Amasiam contra Christianos persecutio. Hæc leui brachio attingo; nam spero fore vt actis Basilei Amaseni integram fidem adstruant viri doctissimi Henschenius & Papebrochius in perennibus & nullo vnquam æuo interituris commentarijs de gestis Sanctorum; siquidem testantur se in actis Sanctorum mensis Aprilis martyrium Basilei Amaseni cum Græcè, tum Latinè exaratum, ac de more, hoc est, eruditissimis notis illustratum, ijsdem quos laudant, fauentibus Superis, impressisse. Hæc ex indiculo Sanctorum Aprilis à P. Papebrochio sibi transmissio significauit Antonius Magliabecus Musarum Aeditius, idemque omnium librorum helluo, ac literatorum toto Orbe scribentium diligentissimus & officiosissimus momenclator, fautor, adiutor.

Interim Philostorgius mendacij conuincitur qui Basileum Athanasio ob Orthodoxi dogmatis professionem commendatum, decimo octauo loco inter Arianos apud Nicæam numerauit. At illum non fuisse insignem illum Amasiæ Episcopum ex subscriptionibus Nicænæ Synodi euincitur; ibi enim legitur *Eutychius Amasæ* Basilei Martyris successor. Video tamen hic erratum esse à Collectoribus Conciliorum; nam Eutychius Amasæ ab ijsdem ponitur inter Episcopos Armeniæ maioris. Hinc Carolus à S. Paulo, & Labbeus cum Cossartio duas Amasias ponunt: vnã Metropolim Helenoponti, aliam in Armenia secunda intra dioccesim Primatis Melitenensis. Sed nusquam hæc Amasia in Armenia legitur; nam prouincia Armeniæ secundæ antiquitus *ex se omnino constans* urbibus dicitur à Iustiniano in Nouella 31. vbi quatuor Armenias distinguit, earumque cum veteres tum nouas vrbes recensens, nusquam Amasiæ meminit. Idem patet in notitia Episcoporum Leonis Imperatoris ad Andronicum filium, vbi sex tantum Armeniæ secundæ ciuitates recenset, quas inter nulla Amasia recitatur. Collectores Conciliorum cum legerent nomina Episcoporum qui Nicænã Synodum celebrarunt, continuata serie ducta, eadem sub prouinciarum titulis seorsim posuere. Hinc cum Eutychius Amasiæ Episcopus medius esset tum inter Eulogium Sebastenum metropo-

ropolitam Armeniæ primæ, & Euethium Satalensem, tum Heracium Zelonensem, ac Elpidium Comanum, quos omnes notant in vtraque Armenia Episcopos fuisse, Eutyrium Amasenum Armeniæ pariter Episcopis adnumerarunt. Verum ex ignorantia Ecclesiasticarum dioeceseon error deriuauit, nam inter Episcopos vtriusque Armeniæ medio loco sedebat Metropolita Amasenus. Patet ex tabulis Leonis Sapientis, vbi post Episcopos Armeniæ primæ, ponitur Metropolita Amasiæ cum cæteris Episcopis Helenoponti, post quos nominatur Primas Melitenensis cum suffraganeis Armeniæ secundæ. In Synodo Chalcedonensi sexcentorum ac triginta Patrum eodem prorsus loco sedebat Primas Amasenus, ita enim ibidem legimus.

*Ioannes Sebastia metropolis prima Armeniæ.*

*Seleucus Amasia ciuitatis metropolitana Helenoponti.*

*Constantinus Melitena ciuitatis metropolis Armeniæ secundæ.*

In Synodo S. Flauiani recitata a. 1. Concilij Chalcedonensis dicitur *Seleucus Dei gratia Episcopus Amasia Helleponti*, & in Synodo Ephesina *Palladius Amasia Helleponti*. Legendum est *Helenoponti*; siquidem Præful Cyzicenus erat metropolita Helleponti. Pontus verò in duas prouincias diuidebatur, nempe in Helenopontum ob Helenæ matris honorem iussu Constantini sic appellatum, & Polemoniacum ab antiquo rege Polemone; huius metropolis erat Neocæsarea, illius verò Amasia Strabonis Geographi patria, cuius situm idem lib. 12. diligentissimè describit. In antiquis nummis Amasia inscribitur ΜΗΤ. ΠΡ. ΠΟΝ nempe: *Metropolis prima Ponti*, quod Neocæsarea secunda erat eiusdem regionis metropolis. Vir doctissimus Spanhemius dissert. 9. de nummis pag. 885. putat aliam eiusdem tractus metropolim signari in nummis inscriptis ΤΟΜΕΩ. ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. *Tomos metropolis Ponti*. Tomi fuit vrbs metropolis Ponti in Scythia. Scribit Ammianus lib. 27. *Scythia in qua celebriora sunt alijs oppida Dionysiopolis & Tomi, & Calatis*. Tomi in Europa vrbs Ouidij exilio nobilitata; Amasia verò in Asia longo terrarum, ac æquoris spatio Tomis dissita, nequiquam eiusdem tractus oppida dici possunt, quare respectu vnus Neocæsareæ Amasia prima metropolis in nummis inscripta fuit. Extat etiam Numisma apud ornatissimum virum Patinum in Traiano cum epigraphe: *Nicomedia metropolis prima Ponti & Bithynia*. At non vacat hic antiquæ Ponti descriptionem inferere: cum plus iusto fortè digressus videar, vt acta Basilei Martyris, eiusdemque Catholici Antistitis fidem aduersus Philostorgium defenderem. Hæc sibi valdè probari affirmavit Carolus Datus, cuius nobilissimi viri cum familiaritate vtor, tum eruditione sæpè proficio.

Licinius qui per sexennium, priusquam Illyricum amitteret, nummos tum sua tum Maximini imagine obsignatos, cum inscriptione *Ioui conseruatori* Sisciae cudendos, dein primo etiam Asiatici imperij quadriennio, eadem inscriptione signandos iusserat, huic tandem suo Ioui conseruatori maledixit. Author est Eusebius Licinium, antequam contra Constantinum aciem instrueret, hæc pro concione ad milites dixisse: *Si Dijs nostris qui quamplurimi sunt, & multitudine nunc vtrique antecellunt, vnus ille nescio unde profectus Constantini Deus superior extiterit, nemo posthac in dubium reuocet quisram colendus sit Deus: sed ad potiorem accedat, eique victoriæ præmium deferat*. Sperabat autem se Deos *verè Seruatores atque auxiliares* habiturum. Lib. 2. de vita Constantini cap. 5. Victus apud Hadria-

Hadrianopolim A. 324. die 3. Iulij, serò licèt intellexit, se inani voto Iouem Conseruatori fidisse, eoquè titulo in nummis frustra eundem coluisse. Itaque Iouem non conseruatorem, sed desertorem, imò inane numen appellans, nos, inquit ibidem Eusebius cap. 15. inuestigabat Deos, utpote à prioribus in fraudem inductus. Nec memoria repetebat quæ paulò ante de Dijs in concione dixisset. Nec Deum qui pro Constantino pugnasset, agnoscere volebat, sed multo plures & nouitios Deos non sine risu ac ludibrio cepit inquirere. Verùm cum nulli Deorum plenè fideret, ac plus præsidij à probata fortissimi ducis virtute se habiturum speraret, Martinianum officiorum magistrum, in ruinæ potius quàm imperij societatem asciuit. Extat in Bibliotheca Serenissimi COSMI III. insigne volumen MS. Anonymi Antiquarij Panuini amicissimi, in quo huius nummi ectypus exhibetur: D. N. M. MARTINIANVS P. F. AVG. & in postica parte: IOVI CONSERVATORI. Huius Numismatis iconem profert Tristanus tom. 3. pag. 474. cum notis S. M. N. A. sc. *Signata Moneta Nicomedia Anno primo*. Verùm Licinius altero prælio apud Chalcedonem die 18. Septembris victus, vnà cum Martiniano nouo Augusto Nicomediam sese recepit, ibiquè à victore exercitu obsessus, facta deditio, in castra Constantini venit, ac vita Constantiæ vxoris precibus impetrata, priuatum hominem apud Thessalonicam degere iussus fuit, Martiniano statim occiso, vti Zosimus scribit, vel vt alij referunt, in Cappadociam relegato. Illud obsetuo, laudatum Martiniani nummum omnium postremum IOVIS CONSERVATORIS inscriptione obsignatum fuisse, cum illa ante annos 240. in Domitiani Cos. X. Numismate primùm apparuerit, & in successorum Principum ac Iouiorum præcipuè nummis passim legatur. Etenim Constantinus Iouis conseruatoris inscriptione inhibita, aliorumque Deorum nominibus ac titulis vetatis, victoris Crucis trophæum, ac Christi Seruatoris nomen in nummis obsignanda iussit, quæ quidem in labaro, galeis Imperatorum, ac militaribus signis scalpata visuntur.

## C A P V T VI.

*Anno imperij Augustorum in nummis passim sculptus. Scaligeri censura confutatur ac Neruæ nummus explicatur. In Numismatibus Viminacij num annona, vel anni designetur. Vetus inscriptio perperam Tristano intellecta. De Frumentarijs Legionum. Annos Caesarum in nummis latinis numeralibus Græcorum notis expressos. Nomina urbium in iisdem notata. Licinij Nummos Nicomedia anno tertio eiusdem in Asia imperij obsignatus.*

**I**N nummis annos imperij Augustorum passim obsignatos videmus. Initio quidem scalpebantur anni Tribunitiæ potestatis, à quibus anni imperij deducebantur. Horum author venit Dio lib. 53. *Gerere quidem, inquit, tribunitium plebis nefas ducunt Imperatores, quum ipsi utique patricij sint: omnem verò Tribunitiam potestatem quantum unquam maxima fuit, accipiunt: & quia quot annis eam cum Tribunis plebis renouant, annorum imperij ipsorum hinc summa colligitur.* Eadem verò die qua annos imperij, annos quoque Tribunitiæ potestatis iterasse ex nummis & lapidum elogijs constat, idque à Panuino satis abundè demonstratum est. Anni Tribunitiæ potestatis vsque ad Claudij II. imperium in nummis

mis procusi sunt; deinde iisdem omissis, notæ numerales Græcorum in vsum venire. Græciæ vrbes initio annos Tribunitiæ potestatis in nummis obsignabant illis notis ΔΗ. ΕΕ. nempe *Διμαρχικῆς Εὐξυνίας Tribunitiæ potestatis*, vel post literas Α. vel Λ. numerum annorum imperij exprimebant. Hoc vltimum adeo confidenter Scaliger infitatur, vt opinionem ioculari irrisionis causa nuncupauerit in notis Eusebianis num. 2194. alias, inquit, *M. Antoninum necesse fuit hoc pacto imperasse XXXIIII. annos cum Λ. ΑΔ. in eius nummis legamus. Item in nummis T. Vespasiani Λ. ΙΑ. qui biennium imperauit: in nummis Neruæ Α. Γ. qui vix inchoauit annum secundum imperij.* Verum palam Scaliger hallucinatur; ignorans in laudatis nummis exprimi annos Tribunitiæ potestatis M. Antonini, ac Titi, qui totidem in nummis & antiquis saxis leguntur. Vterque Tribunitiam potestatem accepit, antequam soli imperium capefferent, Titus enim cum Vespasiano patre, & M. Aurelius cum Antonino Pio plures Tribunitiæ potestatis annos numerarunt. In nummo Neruæ annus tertius designatur: qui quidem tertius imperij annus attribuitur Neruæ in nummis etiam latinis apud Occonem & Goltzium, & in antiquo lapide Gruteriani thesauri pag. 185. cum tamen certum sit Neruam Α. 96. epochæ vulgaris die 18. Septembris post occisum Domitianum, ad imperium euectum, & decimo septimo postea mense imperandi & viuendi finem fecisse, ex Dionis excerptis, Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. & Theophilo Antiocheno lib. 3. ad Autolicum. Quare obiit Neruæ mense VII. Trib. Pot. II. Itaque vel vbique erratum est in assignando eidem anno tertio; vel fortè idem Kalendis Ianuarijs præter morem cum tribunis plebis Tribunitiam potestatem bis iterauit. In nummo Græco Neruæ apud Goltzium legitur disertè ΕΤΟΥΡ ΤΡΙΤΟΥ. *Anno tertio.* Ex alijs tamen nummis error planè corrigendus est. Etenim tum apud Occonem tum apud Goltzium extant nummi eiusdem inscripti TR. P. II. COS. IIII. IMP. II. Gessit autem consularum IV. Α. 98. quo incunte, nempe die 27. Ianuarij, diem obiit.

In nummis Græcis quandoque annus imperij Cæsarum disertè & fine notis designatur. Extat nummis in cimeliarchio Serenissimi Cardinalis cum epigraphe: Α. ΚΑΙ. ΤΑΚΙΤΟΥ. ΚΕΒ. ΕΤΟΥΡ. Α. *Imperator Cæsar Tacitus Anno primo;* & in gaza Magni DVCIS visuntur duo Numismata Diocletiani cum inscriptione ΕΤΟΥΡ Β. ΕΤΟΥΡ. Γ. nempe in vno: *anno secundo;* in altero *anno tertio.* Nusquam anni scalpti leguntur in nummis latinis, præterquam in ijs qui Viminacij in Mysia superiori cusi sunt; sed vt ingenuè fatear, nullus hucusque illarum notarum veram interpretationem inuenit. Extat nummus Philippi Imperatoris apud Tristandum tom. 2. pag. 557. cum epigraphe P. M. S. COL. VIM. & in inferiori parte ANN. VII. hoc est, inquit Tristanus *Provincia Mysia superioris colonia Viminacium. Annona septima.* Etenim ait Legionem VI. Victricem cognomento *Frumentariam* in Mysia statua habuisse, ac annonæ in horrea deuehendæ securitati præfuisse; siquidem in veteri saxo in quo colonia Viminacium legitur, laudatur P. Antonius Victor MIL. LEG. VI. VICTRICIS. FRVM. scilicet, *Frumentariæ* cui interpretationi eruditus amicus noster fidem accomodauit. Verum nemo non videt grauem iniuriam Legioni VI. irrogari, quæ ob fortiter in prælijs gesta, *Victricis* titulum honoris causa decorata, ad plaustra & angarias postea deprimitur, tanquam deuehen-

dæ

de annonæ præsidio vnicè destinata. Sed planè legendum est *P. Antonio Vi-  
ctori militi Legionis VI. FRUMENTATIO*. Hoc constat ex altero saxo apud  
Gruterum pag. 530. & Baronium A. 261.

**T. AVRELIO. PIO.  
MIL. LEG. VI. VICTR.  
FRUMENTARIO. &c.**

Baronius eruditè hosce milites Legionum Frumentarios ex antiquis scrip-  
toribus probat ad annum 261. Græci etiam hunc militem *φρουματάριον* appel-  
labant, vt patet ex epistolis Dionysij Alexandrini apud Eusebium lib. 6. cap.  
40. Vnum hic addam quod in Baronij annalibus desideratur, Diocletianum  
Frumentariorum ordinem extinxisse, quòd teste Victore Schotti *cum ad explo-  
randum annunciandumque, qui fortè in provincijs motus exsisterent, instituti videren-  
tur, compositis nefariè criminationibus, insecto passim metu, præcipuèque remotissimo  
cuiquè, cuncta fædè diripiebant*. Certè Hadrianum *per frumentarios occulta omnia  
explorasse* testatur Spartianus cap. 11. Sed nec interpretatio de annonarum il-  
latarum numero subsistit; siquidem in nummis Philippi legimus **PROVIN-  
CIA DACIA AN. II**. Est hoc Numisma in scrinijs Serenissimi **LEOPOLDI**.  
Rursus in nummo Æmiliani apud Patinum visitur **PROVINCIA DACIA  
AN. VII**. In nummis verò Viminacij Decio imperante in gaza Magni **DV-  
CIS** extat inscriptio **AN. XI**. quis autem putet ab vna vrbe, quàm ab vni-  
uersa prouincia, pluries annonam in horrea publica deportatam Spanhemius  
disert. 9. pag. 876. Arbitrantur in laudatis nummis designari annos deductæ  
sub Gordiano coloniæ; nam extat nummus Gordiani inscriptus **COL. VIM.  
AN. I**, dein plures recta annorum serie sub eiusdem successoribus numeran-  
tur vsque ad Decium, quo imperante nummi Viminacij signantur: **AN. XI. &  
XII**. Hæc tamen explicatio falsitatis apertæ conuincitur. Etenim laudantur  
à Goltzio nummi Alexandri & Iuliæ Mææ cum epigraphe **COL. VIM. AN.  
I. & AN. II**. ex quibus patet Viminacium iure coloniæ exornatum, ante-  
quam Gordianus ad Romanæ rei fastigium eueheretur. Præterea in scrinijs  
Numismatum Sereniss. Cardinalis ab Etruria in eadem tabella visitur num-  
mus Gordiani cum epigraphe: **COL. VIM. AN. V. & duo Philippi, quo-  
rum vnus inscribitur: COL. VIM. AN. III. alter verò AN. IV**. Itaque non  
exprimuntur anni à deducta colonia, cum ijdem nequaquam recta serie dedu-  
cantur, sed iterum sub Gordiano, & postea imperante Philippo, inchoati  
appareant. Certè in nummis Daciæ non exprimuntur anni coloniæ deductæ.  
Quare res mihi in obscuro latet; video enim facilius esse aliorum interpreta-  
tiones confutare, quàm quicquam certi statuere.

In nummis post Gallienum à Latinis percussis, anni imperij Principum nu-  
meralibus Græcorum notis indicari cœpti sunt. Sanè in Maximini, & Lici-  
nij nummis Sisciæ percussis, id ad oculum patet; in ijs enim visuntur **A. B. Γ. Δ.  
Ε. Ϛ.** quibus notis sex anni eorundem Cæsarum designantur, nec vllus anti-  
quariæ rei peritus id hucusque in dubium. Quinque Licinij Numismata cum  
epigraphe: **IOVI CONSERVATORI Sisciæ cusa laudat Occo**; illorum po-  
stremum **E.** obsignatur, quo quintus eiusdem in Illyrico imperantis annus ex-

primitur. Cum verò idem Augustus debellato Maximino, Asiam in suam potestatem redegisset, anni imperij Asiatici eiusdem numerari coepi sunt. Exstat apud eundem diligentissimum antiquarium nummus Licinij in inferiori parte postica obsignatus: S. M. N. A. Alter visitur Licinij nummus apud laudatum Canonicum Bassetum cum notis S. M. N. B. Tertius est insignis Serenissimi Cardinalis obsignatus: S. M. N. r. in quibus tres Liciniani in Asia, ubi nummos illos cufos ostendam, imperij anni indicantur. Has ergo Græcas literas annos imperij explicare certum est, neque maiorem ad rem manifestam illustrandam operam ponam.

Illis prioribus literis S. M. N. vrbs in qua causa est pecunia designatur, nempe *Signata moneta*, vel *Sacra moneta Nicomediae*. Video etiam monetam quandoque dictam diualem. Nummus Theodosij apud Occonem in auersa parte epigraphen præfert VICTORIA AVGGG. & inferius M. D. CON. OB. scilicet *Moneta Diualis Constantinopoli obsignata*. Ita & literæ Augustorum passim *diuales* nuncupatæ, sicut pleraque alia quæ ad Imperatores spectabant, ut eruditis compertum est. Nummus Licinij apud Dn. Bassetum extat cum inscriptione: IOVI CONSERVATORI AVGG. in inferiori parte: S. M. ANB. & in medio E. hoc est: *signata moneta Antiochiæ anno quinto*. Nempe anno 318. quo circa Maium annus quintus imperij Licinij in Asia inchoabatur. Ex quibus lucet minus rectè in annalibus bellum postremum Licinij cum Constantino, eiusque ad priuatam sortem deiectionem ad illum annum referri, neque enim in nummis Constantinus hostis nominatus fuisset ab Antiochenis qui Licinio parebant.

Nicomedia ab imperio Diocletiani erat regum domicilium Augustorum in Asia commorantium; ubi plura eiusdem Principis rescripta signata leguntur in Cod. Iustiniano. Anno 303. ferale illud contra Christianos edictum Nicomediæ primùm propositum fuisse testatur Eusebius lib. 8. cap. 5. præsentem ibidem Imperatorem, cuius *conclauis & palatium* ultore Numine, id temporis fulmine depastum, suismet oculis vidisse affirmat Constantinus Augustus in cap. 25. orationis Sanctorum cœtui inscriptæ. Maximinum in eadem vrbe degisse patet ex eiusdem edicto cap. 2. recitato. Licinius victo Maximino, Orientalis imperij sedem apud Nicomediam fixit. Hæc scribit Ioannes Nicomediensis in actis S. Basilei Amafeni: *Licinius cum totum Orientem sub se haberet, magno cum apparatu ad nostræ regionis urbem Nicomediam venit una cum coniuge sua, ut in regia domo habitaret, & Orientis imperium teneret*. Hinc Marcellinus lib. 22. vocat Nicomediam *urbem inclytam*, ita magnis retro Principum amplificatam impensis, ut ædium multitudine priuatarum & publicarum, rectè noscentibus regio quædam Urbis æstimaretur æterna. Diocletianus, teste Victore Schotti, eandem splendissimis ædificijs exornauerat. Anno 324. Licinius Nicomediæ à Constantino obsessus, se urbemque victori dedit, anno imperij sibi à Galerio delati XVIII. Asiatici verò XI. Constantinus Nicomediam ingressus, ibidem celeberrimam epistolam ad Sanctorum cœtum inscriptam vulgavit, in qua Idolatrici cultus vanitatem euellit, ac Christianæ religionis sanctitatem laudat, ac communit. In cap. 25. legitur: *Testatur hæc vrbs Nicomedia, & c. ut planè non absque diuinæ prouidentie consilio factum putem, ut ex eadem vrbe, ubi sæuissimum contra Christianos edictum, ante vnum supra viginti annos conditum*

tum

tum fuerat, leges postea pro euertendis Idolis, ac Christiano culto seruando, pientissimus ac religiosissimus Imperator emitteret. Nicomediæ moneta cudebatur, & adhuc plurima ibidem obfignata antiquitus Numismata in cimeliar-  
chijis visuntur. Est insignis Nummus in Gaza Medicea cum epigraphe: **ΑΤ. ΚΑΙCΑΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑ C ΜΗΤ. ΚΑΛ ΠΡΟΤ.** *Imperator Cæsar Antoninus. Nicomedia Metropolis, & prima.* Extat elegans Dionis Chrysostomi oratio ad Nicomedienses, dum de primatu cum Nicæensibus contederent, quorum hæc verba vellicat: *Pro primis partibus litigamus.* Frequentia sanè fuere inter vtramque Urbem de primatu Bithyniæ litigia. Legantur literæ Valentiniani, & Valentis ad Nicomedienses & Nicæenses datæ, quæ recitantur act. 13. Synodi Chalcedonensis, vbi Imperator decernit Nicæam esse *secundo loco* Bithyniæ metropolim, laudans *priscam consuetudinem.* Et quidem postquam Nicomediæ imperij sedes posita fuit, non tantum Bithyniæ, sed totius Orientalis imperij vrbs princeps euaserat.

Itaque cum Licinius Augustus apud Nicomediam regium domicilium stauisset, decennalia imperij ibidem celebrauit. Quare Nicomedienses, vt inter splendissimam decennalium pompam egregio facto Augusti gratiam sibi quam maximè conciliarent, nummos procudere, in quibus Licinij vota decennalia soluta, simulque vicennalia nuncupata obfignarunt, eosque specioso titulo **OBLATIONIS DEVOTÆ** Licinij pueri Licinij Aug. F. inscripserunt. Horum vnus est aureum Serenissimi nostri **CARDINALIS** Numisma, cuius interpretationem rudi ac debili eruditione tentabam.







**P A R E R G O N**  
**CHRONOLOGICVM**  
**DE VOTIS DECENNALIBVS.**



THE A 1

THE A 1

THE A 1

*Ad Illustrissimum & Amplissimum Senatorem*  
**FERRANTEM CAPPONIUM**  
SERENISSIMI MAGNI DVCIS ETRVRIÆ  
*Vigilantissimum ac Solertissimum Auditorem, &c.*  
**P R Æ F A T I O.**

**C**V M nuper, Illustris. & Amplis. Senator, meorum studiorum calculum exigeres, ac tibi significassem me in explicandis Decennialibus Licinij Augusti stylum exercere, difficilem mihi quaestionem intulisti, num hac veterum Principum solemnia anno imperij decimo ineunte, vel potius euoluto peragerentur; cui quidem difficultati cum actutum soluendæ non essem, rem me in examen vocaturum promisi. Itaq; veterum Auctorum voluminibus, atq; antiquorum lapidum ac Numismatum inscriptionibus summa diligentia ac pertinaci studio perlustratis, Decennalia Imperatorum suo quæq; tempore acta, literis mandavi. Verum cum intelligerem, hac nimiam fortè curiositatem redolere, nec scribentis laborem pari Lectorum utilitate pensari, id consilij cepi, ut hac occasione consulares tabulas sequiore Augustorum ætate digestas, ac temporum iniuria fœdatas, pristino nitore restituerem. Hæc leuia ac planè inglorius labor quibusdam censebitur; pauci enim sunt, qui in illas se annorum tricas excutiendas committere audeant, sed insignium scriptorum vestigia, longo licet intervallo sectantes, non modò omnem inquirendi veri molestiam effugiunt, verum etiam illos qui eam in rem diligentiorē curam intendunt, quasi veterum contemptores accusant, ingenia non secus ac vina, vetustate commendantes. Sed horum me nati neutiquam morari potuerunt, quominus proposito abs te quaesito responsurus, Romanorum Principum chronologiam ac veteres fastos, si non ad incudem ad limam saltem reuocarem. Quòd si meis hisce nugis, quas esse aliquid putare soles, albos calculos adieceris, magno iudice à morosorum, ne quid durius dicam, censuris absoluar. Etenim nemo non intelligit, quantum tuo iudicio deferendum sit, qui ex Astrea solio vice sacra indicans iura Etruscis gentibus reddis; ex Themidis cortina sententias, imò oracula promens, longioribus litigijs supremam diem imponis: splendida Equestris S. Stephani militiæ, ac Pisani pariter Athenæi arbitria facis, ut ingens armatorum Equitum globus, ac frequentissimus sacris Musarum operantium chorus tuo tribunali sistatur. Ita illis formidatos, barbaris enses: hi verò celebratos editis voluminibus stylos, tuo pari clementia ac severitate fulguranti supercilio submitunt; & dum uterque nobilissimus Ordo vitæ suæ ac fortunarum causas rerum DOMINO per te aperiendas expectat, eiusdem potentissimi, & qui proprius illius titulus est, sapientissimi Principis gratiam, te conciliatore, sibi feliciter ominatur. Et quidem, ut de me loquar, cum Serenissimi Magni Etruriæ DVCIS lateri adhærens Pisis versarere, quoties ex altiori tribunalium solio ad humilia adolescentium subsellia descendens, Ecclesiastica Historiæ scholam, lectiones, quas è cathedra dictabam, auditurus intrahas, quantum augusta illa Sapientiæ delubra tuæ præsentie radijs illustrabas, tantum ijsdem Professoris oculos mentemque hebetabas, ut secus ac de Memnonis statua prodidere, elinguis penè ac mutus euaderem. Verum quòd frequentius ad me audiendum accedebas, sumpto animo, securiori voce sacra illa loquebar. Hinc crescente audacia, chronologicam dissertationem, siue argumentum, siue stylum spectes, vel ipsa pumice aridiorem, tuarum gratiarum flosculis ornandam exhibeo, ut eadem comitate qua loquens aures, scribenti oculos etiam commodas. Itaque hæc tibi Romanorum Principum Decennalia nuncupo; alij tua quoque probati Etruriæ Dominis ministerij DECENNIA, hoc est, aureum Astrea seculum à Ferrante restitutum grandiori stylo seris posteris commendabunt.

K

DIS-



DISSERTATIO  
**CHRONOLOGICA**  
 DE VOTIS DECENNALIBVS.

CAPVT I.

*Decennalium Votorum origo, Sacrificia, Ludi, Largitiones Principum, Urbium oblationes, Panegyrici.*



Ntequam decennalium Augustorum chronologiam aggrediar, operæ pretium duxi nonnulla veluti præmij loco præmittere, quæ eadem festa plurimum, vt ego quidem arbitror, illustrabunt. Vota pro Reipublicæ incolumitate tum in quinquennium, tum in decennium Romanis antiquitus nuncupata, Latinæ Historiæ conditor Liuius passim tradit. Flaminio cum legionibus ad Thrasimenum ab Annibale cæso, vota quinquennalia suscepta sunt: *Si res Populi Romani ac Quiritium ad quinquennium proximum salua seruata erit*: Hæc laudatus scriptor lib. 2. dec. 3. Idem lib. 1. dec. 3. scribit: *Caius Attilius Seranus Prator vota suscipere iussus, si in decem annos R. P. eodem stetisset statu*. At ciuilibus odijs euersa Republica, ac Romani Orbis imperio ad Augustum ac successores Principes deuoluto, vota quinquennalia ac decennalia pro Imperatorum incolumitate concipi cœpere. Etenim Augustus veritus, ne Populus plurium seculorum libertati asuetus, vnus imperium excuteret, in decennium, dein in quinquennium, denique in plura rursus decennia Romani imperij regimine assumpto, inuidiam æquè hac periculum se declinaturum putauit. Itaque teste Dionel. 53. septimum consulatum gerens A. V. C. 727. à parilibus ineunte, Romani Orbis imperium in decennium capessuit. Scribit Censorinus cap. 21. de die Natali, id contigisse *ex ante diem decimum sextum Kal. Februarij*. At Ouidius lib. 1. fastorum Idibus Ianuarij id actum dicit.

*Idibus in magni castus Iouis æde Sacerdos  
 Semimaris flammis viscera libat ouis.  
 Redditaque est omnis populo prouincia nostro,  
 Et tuus Augusti nomine dictus auus.*

Petauius lib. 10. de doctr. temp. cap. 70. Censorino consentit. Panuinus lib. 2. fastorum V. C. 727. rem in medio relinquit. Scaliger lib. 5. de emendat. temp. pag. 427. indignatus antiquos secum inuicem discrepare ait: *Quas igitur*

75

~~tur finis contradicendi futurus; si de re tam insigni ne inter veteres quidem constat?~~ Profecto memoranda videtur dies quæ Romanæ monarchiæ initium dedit; hæc enim Augustus quæsitam armis dominationem, armis itidem sibi seruarat, ac vi occupatum imperium septemdecim annos tenebat, quod cum serio, ac per simulationem deponere vellet, effecit ut illud sibi vitro à S. P. Q. R. deferretur, quod memorato Urbis anno 727. in decennium admisit. Insignem diem vetusta inscriptio Narbonensis Augusto dicata designat apud Gruterum pag. 229. cuius fragmentum, quod rem nostram attinet, subiicio.

VII. QVOQUE. IDVS. IANVAR. QVA. DIE. PRIMVM.  
IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AVSPICATVS.  
EST. THVRE. VINO. SVPP LICENT. ET.  
HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT.

Ex hoc tam luculento testimonio patet Augustum non die 17. Ianuarij, ut scripsit Gensorinus, neque 13. ut voluit Ouidius, sed planè septima imperium in decennium suscepisse, à qua die celebris annorum Augustorum Epochæ Gensorino laudata, exordium duxit. Dicata est insignis illa inscriptio A. V. 764. nam ibidem Augustus dicitur TRIB. POTEST. XXXIII. & in titulo legitur: T. Statilio Tauro L. Cassio Longino Cos. X. Kal. Octobr. Ex quibus mirari liceat Panuini ingenium, qui ex lapidis fragmento quod pag. 295. operis Gruteriani exhibetur, scripsit Cassium Longinum à Kal. Iulij in locum Æmili Lepidi consulis ordinarij A. V. 764. suffectum fuisse.

Cum A. V. 736. ad parilia VII. idus Ianuarias decimus confirmati imperij annus Augusto exiret, in proximum quinquennium, ac dein alterum, regimen rursus accepit, teste Dione lib. 54. quo elapso iterum in decennium rem Romanam moderandam suscepit, quod & quintum deniquè iteravit. Porro ineunte singulo quoque decennio vota pro eiusdem incolumitate nuncupabantur, & decennio evoluta solvebantur; atque hinc decennalia Imperatorum deriuasse tradit Dio lib. 53. *Quam ob causam*, inquit, *posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium ipsi imperium deferatur, tamen singulis decennijs festum pro eius renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* Itaque vota decennalia exeunte anno decimo augustæ dominationis, solvebantur, & in proximum decennium iterabantur.

Cum idem Augustus exacto priori decennio in quinquennium rursus imperium regendum suscepisset, altero eiusdem quinquennij anno, ex Dione lib. 54. L. Domitio & P. Scipione Cos. V. C. 738. Agrippa ludos quinquennales propter eiusdem principatum dedit. Hinc Cæsarum quinquennalia exordium sumpsere. Nero evoluta primo imperij quinquennate, ac altero inchoato, ludos quinquennales celebrauit. Scribit Tacitus lib. 14. Ann. Nerone IV. Corbello Cos. *Quinquennale ludicrum Romæ institutum est ad morem Græci certaminis.* Idem verò lib. 16. Siliò Neruæ, & Attico Vestino Cos. ait: *Ac forte quinquennale ludicrum setando lustro celebrabatur.* Hi tamen ludi quinquennales perpetui à Nerone conditi sunt, vnde & eosdem exhibuisse Gordianum testatur Victor Schottr; *Eoque*, inquit, *anno lustri certamine quod Nero Romam introtrahebat, antequam profectus esset in Persas profectus est.* Ludi verò quinquennales iuxta initium imperij diem, quinquennio exacto, Imperatoribus edebantur. Scaliger Neronis

quinquennales singulo quoque quinquennio ineunte datos scribit lib. 5. de emend. temp. pag. 440. hinc de agone Neroniano à Gordiano exhibito ait: *Is fuit agō quadragesimus sextus*. Ibidem etiam Tacitum reprehendit, quod ludos quinquennales sexto anno iterum à Nerone peractos scribit. At Scaligerum turpiter hallucinatum Lipsius in notis ad Tacitum, alijque eruditi obseruarunt. Nero instituit ludos quinquennales A. V. C. 813. Christianæ Epochæ 60. Cyclo Solis XIII. Lunæ IV. Nerone IV. & Coss. Coss. Eisdem iterum dedit A. V. 818. Æræ Christianæ 65. Cyclo Solis XVIII. Lunæ IX. Silio Nerua, & Vestino Coss. Itaque euoluto statim quinquennio exhibiti sunt; neque enim uti Olympici ludi ineunte quinto, sed in fine quinti anni edebantur, unde rectè Neronianum agona *lustricertamen* Victori appellatum; lustrum enim ex annis quinque solidis conflatur. Ex his patet Gordianum dedisse agona Neronianum XXXVII. V. C. 993. Christi 240. Vettio Sabino, & Vettusto Coss. Quinquennales Neronis in eiusdem nummis signantur apud Octonem: NERO CAESAR AVG. & in postica: CERTA QVINQ. ROM. & pag. 116. antiquarum inscriptionum legitur: NERONIS QVINQVENNALIB. Scribit Suetonius in Nerone cap. 21. *Cum magni aestimaret cantare, etiam Romæ Neronem agona ante præsinitum diem reuocauit*. Quibus verbis non quidem annum sed anni tempus illum anteuertisse significat; cum anno quinto idem ludicrum repetitum Tacitus dicat. De his hætenus. Ceterum quinquennia imperij, de quibus sermonem institui, memorantur apud Lamprium in Diadumeno cap. 2. Spanhemius dissert. 7. de usu & præst. Numis. pag. 646. nummum Postumi exhibet cum epigraphe: QVINQVENNALES POSTUMI AVG. Postumus anno Augustæ 290. imperium in Gallijs per tyrannidem exercebat. Nulla Imperatorum Numismata ante hoc Postumianum, quinquennalia imperij exhibent, quæ tamen à Constantini imperio in nummis Cæsarum frequentissimè occurrunt.

Festa decennialium splendidissima pompa agebantur. Et primò quidem sacrificijs ac votis ad aras Diuum. Laudatur in antiquis inscriptionibus pag. 116. vetustus lapis in Romano foro sub arcu Septimij effossus, in cuius priori latere legitur: CAESARVM DECENNALIA FELICITER. In altero latere pergunt ad sacrificium, primò Sacerdos vestitu Gabino super humerum cinctus; deinde mactatores duo cum suis malleolis, quodam canistrum cum fructibus deferente. Sequuntur sus, & aries coronatus, ac taurus cinctus stollatusque. Dicebantur id genus sacrificia *Suouetaurilia*, de quibus agit Gutherius lib. 4. de vet. iure Pont. cap. 18. & SVOVETAVRILIA MAIORA leguntur in veteri saxo pag. 121. operis Gruteriani. In tertio latere visitur Sacerdos, cui Victoria vestem imponit, idemque pateram vini in ignem, qui in tripode est, infundit. Adstat etiam puer duabus fistulis vnà in os insertis canens, qui itidem visitur in insigni Numismate Mediceo, in quo sacrificium ludis secularibus Domitiani factum exhibetur. Deniquè in quarto latere novem Sacerdotes ordine procedunt, quos inter duo cohortium signa cernuntur. Hæc fuere decennalia Constantij senioris ac Maximiani Galerij, vel Severi & Maximini, aut filiorum Constantini, & Licinij iunioris, nam illi tantum vnà simul Cæsares fuere. Vota decennialia in hæc ferè verba ad aram Iovis Capitolini concipiebantur. *Preces posco Iupiter, uti sis volens propitius in-*  
decen-

*decennium N. Augusto : quod si facxīs : tunc tibi votum boue durato vouemus esse futurum. Ludis Cirsensibus vouemus esse futurum. Ludis gladiatorijs vouemus esse futurum &c.* Similem ferè formulam eorundem votorum concinuat Panuinus lib. 2. fast. V. C. 727. Tertullianus in libro de corona militis cap. 12. describens vota, non quidem decennialia, sed quæ quotannis III. Non. Ianuarias pro incolumitate Imperatorum nuncupabantur, ait : *Ecce annua votorum nuncupatio, quid videtur ? prima in principijs, secunda in Capitolijs. Accipe post loca, & verba : Hunc tibi Iupiter bouem cornibus auro decoratis vouemus esse futurum.* Viri eruditi minùs rectè hunc Septimij textum intellexerunt. Baronius ad A. 315. initio ait : *Principia appellat domum Principis ;* at Pamelius in notis interpretatur, *in principijs imperij.* Falsa utraque interpretatio. Principia erant loca castrorum, vbi milites legionarij, principes nuncupati, degebant. Erant autem principes in vnaquaque legione mille ac ducenti ex Polybio lib. 6. quo loci ait in legione milites ita à Tribunis distribui solitos : *natu minimos & pauperimos in velites : proximos his in hastatos ; etatem florentissimam in principes, maximos natu in Triarios.* Hinc miles apud Terentium in Eunuch. IV. 7. *Tu hosce instrue ; hic ego ero post principia.* Pollio in Regelliano ait : *Cum alia die mane processisset, à principijs Imperator est salutatus.* Res ex Varrone, Liui. 10. Floro, Vegetio, alijsque patet, & pag. 347. antiqua inscriptio legitur dicata militi **PRINCIPI ET PRIMIPILLO LEG. VII.** Itaque à militibus in castris vota primum pro Imperatore suscipiebantur ; postea à ciuib. in capitolio. Gruærus ait legendum *capitolio*, non *capitolijs*, ac mendum ex voce *principijs* irrepisse. Sed non video cur eo scrupulo tangamur ; nam & Virgilius *capitolia* sæpius dixit. Bullingerus lib. 1. de Imp. Rom. cap. 35. textum Tertulliani ita legit : *Hunc tibi Iupiter bouem cornibus auro decoratis vouemus esse facturum, id est, esse facturos.* Miror virum doctum in fragmentis inscriptionum, quas ibidem laudat, non adnotasse passim legi : **VOVIMVS ESSE FVTVRVVM.** Ceterum perperam scribitur : *Hunc tibi Iupiter bouem, &c.* quasi bos altero anno maclandus, votorum nuncupationi præsens adstiterit ; est enim legendum *Nunc*, vñ votum præsens exprimat ; vel certè cum nostro Moreau in notis ad illa verba, *Tunc*, vt hostiam statò tempore maclandam indicet ; nam est vetus inscriptio pag. 119.

*Quod si FACXIS. TVNC. TIBI. IN EADEM. VERBA bouem fronte AVRATA. VOVIMVS. ESSE FVTVRVVM.*

Gallienus, teste Vopisco cap. 7. *decennia celebravit nouo genere ludorum noua specie pomparum ; exquisito genere voluptatum.* Primum verò eiusdem processum describens cap. 8. *Omnes viæ, inquit, ludis strepituque, & plausibus personabant ; ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter patres (vt diximus) omnibus Sacerdotibus pretextatis Capitolium petijt. Hostiarum pompam præmiserat. Etenim processerunt etiam alitrinsecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorsualibus feticis discoloribus præfulgentes. Agne candentes ab utraque parte ducentæ præcesserunt. Et cap. 9. Sic confecto itinere, celebratisque hecatombis, ad domum regiam redijt. Cum centum hostiæ ad aram maclabantur, id sacrificij hecatombe dicebatur ; quæ de re legendus est Capitolinus in Maximo & Balbino cap. 11. Ceterum superstitioso Idolorum cultu antiquato, Constantinus, alijquæ Christiani Augusti ad*



ad aram Dei Opt. Max. pro decennijs, ac vicennijs vota peragebant. Eusebius in oratione quam tricennalibus Constantini recitavit, pia Principis Orthodoxi vota, facta cum impuris Ethnicorum Caesarum festis comparatione, describens ait: Solus ex omnibus qui Romano imperio unquam præsuerunt, tertio iam decennalium circuitu à summo omnium Imperatore Deo honoratus hanc festivitatem non terrenis quibusdam spiritibus, ut veteres illi; nec spectris Daemonum imperitam multitudinem seducentium; nec fraudibus aut commentis hominum impiorum celebrat. Sed ipsi à quo honoratus est Deo, gratias persolvit: conscius scilicet bonorum quæ ab eo accepit. Non veterum ritu palatium cruore ac tabo inquinans; nec fumo & igne, & holocaustis terrenos demones placans: verum summo omnium regi gratam & acceptam victimam, suam videlicet regium animam, ac mentem Deo dignissimam consecrans &c. Hanc igitur maximam hostiam ante omnes rite immolat Imperator. Immolat vero utpote bonus pastor, non

*Agnorum cedens primogenitarum hecatombas:*

*Sed rationalis gregis qui ab ipso pascitur, animos ad cognitionem Dei cultumque perducens. Hæc ille.*

Inter votorum ac sacrificiorum solemnia primus decennalium dies exhibat, reliqui Circensibus ac theatralibus ludis deputabuntur. Valesius in notis ad orationem Eusebij de laudibus Constantini ait: Durabat hæc festivitas uno aut altero die, quo Circenses ac Theatrales ludi edebantur. Longius eadem solemnitas extendit Ricciolius in Chronologia, vti iactat, Reformata; etenim in magna Chronico ad A. 320. ait: Romæ quinquennalia Caesarum celebrata anno 15. Constantini hoc anno à die 25. Septembris (voluit dicere Iulij) inito; ideoque ad annum quoque sequentem pertinentia. Cum hic scriptor illorum Caesarum inaugurationem statuatur cum Baronio ad A. 315. & anno quinto evoluta, nempe 320. quinquennalia festa recitet, nescio cur sexto quoque anno elapso eadem solemnitas peracta affirmet. Profectò hæc Reformata chronologia quinquennalium reformanda est. Sed nec Valesij numerus constat; siquidem Severus integram hebdomadam decennalibus ludis impendit. Hæc scribit Dion apud Xiphilinum: Tum edita sunt varia spectacula propter reditum Seneri, & decenniam principatus eius. Postea: Septingentæ fere, mansuetæque bestiae simul concurrere, & postea confodi, visa sunt. Occisis enim singulis diebus centum pro numero dierum festorumque qui septem fuerunt, septingentæ sunt occise. Trebellius Pollio cum cap. 9. dixisset Gallienum priori die decennalium festorum hecatombem celebrasse, ait: Ad domum regiam redijt: convivijsque & epulis depulsis, alios dies voluptatibus, publicis deputabat. Et quidem pluries ipsum ad edendos ludos processisse, ex ijs quæ recitat cap. 8. intelligitur Præcesserunt, inquit, & decem elephanti, qui tunc erant Romæ, mille ducenti, gladiatores pompaliter ornati, cum auratis vestibus matronarum, mansuetæ fere diversi generis ducentæ ornata, quam maximo affectu: Carpenteræ cum minimis & omni genere histrionum, pugiles flaculis non veritate pugnantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarij, ita ut miranda quedam & stupenda monstrarent. Itaque diversis ille diebus dedit ludos gladiatorios, amphitheatrales, scenicos, & thymeliacos, &c. At Christiani Imperatores gladiatorum ludis omisiss, Circenses ac Theatrales tantum exhibebant. Scribit Marcellinus lib. 14. Arcadius Constantius, post theatrales ludos atque Circenses ambizioso edito apparatu die 1. Idus Octobris qui imperij eius annum arcesimum terminabat, &c. Verum erravit

uit Marcellinus Octobrem pro Nouembri scribens; nam in veteri Kalendario Bucherium pag. 287. VI. Id. Nouembris legitur: *Natalis Nervo & Constanti cm. XLVIII.* quod item tradit Idatius in fastis. Bucherius illis notis CM. quæ toties in eodem Kalendario leguntur, suspicatus est significari *congiarium*; sed certum est designari *Circenses missus*; ibidem enim sæpius scribitur cm. XXIII. Circenses missus à Caligulæ principatu quoties edebantur, fuere viginti quatuor, vti ex Dione ac Cassiodoro eruditissimus meus Panvinus ostendit lib. 1. de ludis Circen. cap. 14. quamuis etiam *quadraginta missus cucurrisse* anno Urbis millesimo, testetur Cassiodorus in Chronico. Hinc cum in diem VI. Iduum Nouembris duorum Imperatorum natalis incideret, Circenses missus duplicabantur. Et quidem Circenses ludi integram penè diem plerumque occupabant. Scribit Socrates lib. 4. cap. vlt. de seniori Theodosio: *Atque ante prandium ita morbo releuatus fuit, vt equorum certamina spectare posset; post prandium de repente cepit adeo grauitè egrotare, vt ad spectacula procedere nequiret. Filio igitur mandatum dedit, vt certamina illa perficienda curaret*: In lib. 8. Confess. D. Aug. cap. 6. *Cum Imperator Treuiris pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, &c. quasi manè illud fuerit inchoatum. Quare Constantius non vna eademque die tricennalia festa egit; præsertim cum præter diuersa ludorum genera, etiam panegyres coram frequentissimos Auditores recitarentur, quibus non eadem quæ spectaculis, dies destinabatur; aliàs Oratores sibi ac Musis verba fecissent, ceteris rotundo agmine in Circum, ac Theatrum confluentibus. Ex his constat decennalium solemnij faciundis vix alteram diem suffecisse; nec tamen ausim dies ludorum certo quodam calculo digerere, qui pro Principum vel magistratuum munificentia aut parsimonia augebantur, vel minuebantur. Idatius in fastis Valentiniano III. & Eutropio Coss. His Cons. Quinquennalia Arcadius Augustus propria cum Theodosio Augusto patre suo editionibus ludisque celebravit XVII. Kal. Februarias. Quòd nempè ea dies esset natalitia imperij Arcadij, qua festà illa inchoabantur, ac sequentibus postea diebus absoluebantur.*

Augustos suis decennialibus donatium militibus ac populo dedisse ex Dione atque Eusebio dissert. 2. ostendi, quo loci etiam de oblationibus, quas vrbes ac prouinciæ ijsdem solemnij faciebant, abundè dixi, vt Liciniani Numismatis epigraphen explicarem, quæ haud vacat repetere, ne per eandem lineam ferram frustra reciprocem. Constantinus magnus primis decennialibus, datis ad Vectium Rufinum Præfectum Vrbi literis Populum Romanum regia liberalitate sibi deuinxit. Extat eiusdem rescriptum L. 1. *de longi temporis præscript.* in hæc verba conceptum: *Ex donatione Principum, aut quocunque modo, rem ad ad fiscum perrinentem, usque ad nostra Decennalia sine aliqua interpellatione possidentes (secundum ius enim hæc intelligitur esse possessio) securi possideant. PP. X. Id. Ian. Roma Sabino, & Rufino Coss.* Hoc edicto superiorum principum erga P. R. beneficia ac liberalitates ratas habuit, secus ac olim Galba Augustorum auarissimus fecerat, de quo hæc Tacitus lib. 1. Hist. *Bis & vicies mille sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos, iussit, decumâ parte liberalitatis apud quemque relicta.* Galuanus in tt. de usufructu dissert. 11. cum in laudato rescripto Constantini legeret Decennalia numero plurali elata; eandem legem de viginti annorum, hoc est, duorum decennialium præscriptione perpe-

perperam intellexit; cum Sabinus & Rufinus gesserint consulatum A. 316. quo in ante diem VIII. Kal. Augusti decimus imperij annus Constantino exiit. Hinc S. P. Q. R. in grati animi obsequium eodem anno insignem arcum triumphalem munificentissimo Imperatori erexit, in quo eiusdem decennalia inscripsit, uti differt. 2. fusiùs ostendi.

Præterea ijsdem decennialium solemnij rei è carceribus dimittebantur, teste Eusebio Cæsariensi, cuius verba laudavi differt. 1. cap. 1. Rursus à præclarissimis Oratoribus panegyrici de Imperatorum laudibus recitabantur. Extant adhuc orationes Nazarij celeberrimi Rhetoris de quinquennialibus Crispi ac Constantini iunioris, itemque carmen Porphyrij Optatiani de ijsdem Cæsaribus; utrobiquè autem tum Orator tum Poeta Constantini Augusti laudes exequitur. Item superest Panegyris Eusebij Cæsariensis tricennialibus eiusdem Magni Principis recitata. Inter orationes Themistij XIV. editionis Petauij *quinquennalis* inscribitur; & primo Maximiani Herculei quinquennio euoluto, panegyrim abs se scriptam testatur Mamertinus in oratione eidem Augusto die Natali dicta: *Nequè enim, inquit in procæmio, orationis eius quam composueram, faciam iacturam, sed eam reseruo, ut quinquennio rursus exaeto, decennialibus tuis dicam: quoniam quidem lustris omnibus prædicandis communis oratio est.*

Imperatores inter eadem festa splendidissimis & omni regio apparatu instructissimis epulis nobiliores quosque excipiebant. Scribit Eusebius lib. 8. cap. 13. de Imp. Diocletiano ac Maximiano: *Quo quidem tempore ij qui summam Imperij administrabant, decennialibus ac vicennialibus expletis, in festiuitatibus, spectaculis, epulis, omnique hilaritatis genere pacatè, & tranquille debebant.* Idem Gallienum suis decennialibus fecisse testatur Trebellius Pollio cap. 9. *Conuiujsque & epulis depulsis, alias dies voluptatibus publicis deputabat.* Vbi tempore eorundem solemnium ineptissimum illum principem hæc subinde dixisse affirmat: *Et quid habemus in prandio? & quæ voluptates paratæ sunt? & qualis cras erit scena? quales Circenses?* Cum ineunte vicesimo anno imperij Constantinus vicennialia celebraret, ac id temporis Nicænæ Synodo adesset, Patres ad regium conuiuium vocauit. Sozomenus in fine lib. 2. *Erat, inquit, Romanis in more positum, ut decimo quoque anno imperij cuiusque Imperatoris diem festum celeberrimo hominum conuentu agitarent. Quapropter Imperator opportunum sibi tempus ad id quod instituerat, oblatum arbitratus, totum Concilium ad epulum inuitauit: omnesque donis, prout cuiusque dignitas poscebat, honorifice remuneratus est.* Hæc de festis decennialibus leui brachio attigisse sufficiat, antequam ad id quod præcipuè intendo, gradum facerem.

## C A P V T II.

*Augustus ac Tiberius decimo imperij anno euoluto Decennialia celebrarunt. Heruuartus biennium Tiberio auferens refutatur. Scaligeri opinio de annis Imp. Domitiani corrigitur. Ptolomæi à Romanis fastis dissidum. Petauij ea de re sententia reijcitur.*

**L**icinium Augustum anno imperij decimo ineunte decennialia egisse in superiori dissertatione nobis probatum est; modò ostendam eadem solemnia

lemnia præter morem anticipata fuisse, cum ab Augusto & successoribus decennalia, decimo anno euoluto, peracta fuerint; qua occasione pleraque etiam Imperatorum Numismata explicabo. Et quidem Augustum singulis quibusque decennijs vota soluisse, & noua iterasse ex Dione colligitur, cuius verba capite superiori laudauimus. Idem lib. 56. ait: *L. Munatio C. Silio Coss. Augustus quintum in decennium gubernationem Reip. inuitus accepit: Tiberio Tribunitiam potestatem prorogauit.* Hæc postrema vota decennalia suscepit A. V. 766. usque ad Parilia, Christianæ Epochæ 14. VII. Idus Ianuarij. Nam uti anno Urbis 736. exeunte, quod disertè Dio testatur, cum primum decennium imperij exiret, in quinquennium rursus Reip. administrationem suscepit; ita exeunte anno 766. imperium in quintum decennium capeßiuit, & decennalia IIII. utrisque Sextis Coss. die septima Ianuarij soluit, ac decennalia quinta nuncupauit. Verum Augusto eodem anno mortem oppetente, ea vota irrita cecidere.

Tiberium eadem festa decennalia imperij celebraße, quamuis Tacitus subiceat, Dio prodit. lib. 57. ubi ait: *ludos decennales factos, decem annis imperij eius transactis.* Itaque edita sunt decennalia A. V. 777. XIV. Kal. Septembris die natali Tiberij. Idem lib. 58. scribit: *Vicesimo anno imperij quum Tiberius, frequens in Albano & Tusculi esset, in urbem non venit, sed Consules L. Vitellius & Fabius Persicus decennium nuncupauere, quasi ei, ut Augusto visitatum, tunc imperium prorogarent. Verum hi ludos decennales simul celebrarunt, & pœnas dederunt.* Itaque Tiberius decennalia secunda soluit anno imperij vicesimo absoluto; nam L. Vitellius, ac Fabius Persicus gessere consulatum A. V. 787.

Heruuartus qui se nouæ ac veræ chronologiæ auctorem publicauit, contendit cap. 248. Consulares fastos, quod Tiberij imperium attinet, esse corruptos, ac duo paria consulum irrepsisse; vnde & anni imperij eiusdem tres supra viginti post obitum Augusti vulgò crediti, cum biennio minus solus rei Romanæ præfuerit; nam duobus ferè annis, viuente Augusto, imperauit; nempe lata per Consules lege, ut, teste Suetonio cap. 21. *prouincias cum Augusto communiter administraret.* Hæc ille excogitauit, ut initium Christi nascentis, eiusque noua quadam supputatione stabiliret. Sed prodigio proprius est Plinium ac Tacitum, qui eodem sæculo exeunte vivere, in deprauatos fastos incidisse, cum hi in tabulis Capitolinis, in archiuis Urbium, ac certissimis monumentis integri seruantur. Scribit Plinius lib. 33. cap. 2. *Tiberij demum principatus anno nono in unitatem venit Equester Ordo: annulorumque auctoritati forma constituta est C. Asinio, C. Antistio Coss. anno urbis conditæ DCCLXXV.* nempe usque ad parilia. Tacitus initio lib. 4. Ann. ait: *C. Asinio C. Antistio Coss. nonus Tiberio annus erat.* Itaque anni imperij Tiberij iucipiunt à consulatu vtriusque Sexti V. C. 767. Velleius qui id temporis scripsit, lib. 2. Tiberij gesta ab obitu Augusti laudans ait: *Horum sedecim annorum opera quis, cum inserta sint, oculis, animisque omnium, in partibus eloquatur?* Testatur autem se ea literis mandare M. Vinicio consule, cui & opus illud nuncupauit. Gessit Vinicius consulatum iuxta fastos vulgares A. V. 783. Eræ Dionysianæ 30. Inde verò per annos XVI. retrocedentes erimus ad A. V. 767. Dionysianum verò XIV. quo obitus Augusti, & initium Tiberij in fastis statuitur; ac proinde optimè illi digesti sunt. Rursus à Vinicij consulatu ad L. Vitellium & Fabium Persicum quadriennium excurrit; hi enim ponuntur consules A. V. 787. Dionysiano 34.

L

quo

quo labente die 19. Augusti Tiberius vicesimum imperij annum compleuit; quare & decennales lidos iterum iisdem Consulibus solutos testatur Dio.

Hoc ipsum ex annis Tribunitiae potestatis tum Augusti tum Tiberij euidenter ostenditur. Augustus teste Dione lib. 54. in suo consulatu vndecimo A. V. 731. Tribunitiam potestatem perpetuam à P. R. accepit, quam eidem *continuatam per septem & triginta annos* asserit Tacitus lib. 1. Annal. Extant nummi Augusti apud Goltzium & Occonem inscripti in postica parte: PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTES. XXXVII. Itaque inchoauerat septimam ac tricesimam Tribunitiam potestatem A. V. 767. Christianae Epochae 14. Scribit de Augusto Dio lib. 55. *Antistio Vetere, & Lelio Balbo Coss. Tiberio Tribunitiam potestatem in quinquennium concessit.* Nempe A. V. 748. Anno vero 753. apud Rhodum degenti Tiberio, exijt postremus annus Tribunitiae potestatis. Augustus postea Caio ac Lucio Nepotibus acerbo fato sublatis, *Tiberium adoptauit ac Tribunitia potestate ad annos decem data, in Germaniam ablegauit.* Hæc Dio lib. 55. Suetonius in Tiberio cap. 15. idem tradit, nisi quod rursus in quinquennium Tribunitiae potestatis collegam Augusto factum dicit. Diem adoptionis designat Velleius lib. 2. *Ælio Cato Sentio Coss. V. Kal. Iul. post V. C. annis DCCLVII. adhinc annis XXVII.* Itaque rectè vulgares fasti dispositi sunt; siquidem à Sentij consulatu ad Vinicius consulem 27. paria consulum numerantur. Vir maximus & planè incomparabilis Panuinus obseruauit Tiberium V. C. anno 757. V. Kal. Iulias inisse Tribunitiam potestatem VI. cum Augustus esset Trib. Pot. XXVII. Hoc euidenter patet ex Tabulis Capitolinis apud Gruterum pag. 295. vbi Potestas Trib. Augusti XXX. coniungitur cum IX. Tiberij, & tres insuper annos Tribunitiae potestatis vtriusque ibidem eodem numero auctos videmus, quorum postremus ita exprimitur.

IMP. CAES. DIVI. F. AVG. PONT. MAX. TR. POT. XXXV.

TI. CAESAR. AVGVSTI. F. DIVI. N. TR. POT. XIII.

C. SILIVS. P. F. P. N. L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS.

Ex qua inscriptione apertè facti stabiliuntur, in quibus A. V. 766. C. Silius Nepos, & L. Munatius Plancus Coss. ponuntur, quo anno Augustus Trib. Pot. XXXV. Tiberius verò XIII. gessit vsque ad V. Kal. Iulias, qua die XV. auspabatur. Extant etiam nummi Tiberij inscripti: TI. CAESAR. AVGVSTI. F. TRIB. POT. XVI. Item. TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVG. IMP. VII. TR. P. XVI. ex quibus patet Tiberium A. V. 767. die 27. Iunij inisse Trib. potestatem XVI. adhuc Augusto superstite, quo XIV. Kal. Septembris diem defuncto, ac inter superos relato, Tiberius DIVI filius, atque Augustus in nummis inscriptus est; nam licet Augusti nomen non vsurparet, ut ait Suetonius capite 26. *audiens tamen, aut legens ferebat,* ex Dione lib. 57. Tiberium anno Trib. Pot. XXXVIII. decessisse ex nummis intelligitur. Seruatur in cimelijs Serenissimi Cardinali LEOPOLDI Numisma maioris magnitudinis inscriptum: TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. P. XXXII. Item in Tiberij epitaphio apud Panuinum lib. 2. fast. ad A. V. 790. & Gruterum pag. 236.

OSSA  
**TI. CAESARIS. DIVI. AVG. F.**  
**AVG. PONT. MAX.**  
**TR. POT. XXXIIX.**  
**IMP. VII. COS. V.**

Hinc confutatur Heruuartus biennium imperio Tiberij auferens; nam cum Tiberius obierit XVII. Kal. Aprilis anno Trib. Pot. octauo supra trigesimum, contigit eiusdem mors A. V. C. 790. Accronio & Pontio Coss. vti tradunt Tacitus ac Dio, cum imperasset post excessum Augusti A. 22. M. 6. D. 28. Quare rectè Dio scribit decennalia secunda Tiberij peracta L. Vitellio ac Fabio Perfico Coss. anno imperij eiusdem vicesimo exacto, cum idem esset Tribunitiæ potestatis XXXVI. Nec proconsulare imperium Tiberio ab Augusto delatum nouos chronologiæ calculos iuuat. Etenim, vt optimè notat Petauius lib. 11. de doct. temp. cap. 7. Germanicus teste Tacito lib. 1. Ann. proconsulare imperium obtinuit, qui tamen nusquam inter Imperatores numeratur. Imò in nummis inscribitur: **GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. COS. II.** Gessit autem alterum consulatum anno æræ vulgaris 18. cum ante quadriennium proconsulari imperio à Tiberio ornatus fuerit, quo honore tantum abest, vt ad imperij fastigium euectus fuerit, quin potius nullam illius ratio in titulis eiusdem habebatur, quod itidem in dicatis eidem inscriptionibus lapidum patet apud Gruterum pag. 236.

Post Tiberium Claudius, Nero, Domitianus, ac Traianus vltra decennium imperarunt, quos decennalia festa de more celebrasse certum est, quamuis nulla eorundem mentio apud historicos reperiatur. Scio Panuinum ad Ann. V. 804. dicere: *Quo anno, vt scribit Dio, festa decennalia Claudij Imp. celebrata sunt.* Idem tradit de Nerone, ac Domitiano, Dionem vtrobiquè appellans, quod etiam facit Caluissius. Verum nusquam illorum Principum decennalia laudato scriptori memorantur; neque in nummis inscripta apparent. Idem ad A. V. 860. Traiani decennalia ex eodem Dione recitat; quare ne insignem historicum imposturæ reum traducamus, ideo Dionem eidem citatum puto, quod ille testatus fuit omnes Imperatores, Augusti exemplum secutos, singulis imperij decennijs exactis, decennalia vota soluisse. De Traiani die natali imperij, eiusque principatus annis numerandis plura scribit Reformator Chronologiæ tom. 1. lib. 4. cap. 8. n. 13. Et quidem gloriatur se post Panuinum tandem nactum verum initium imperij, Traiani, *videlicet annum Epochæ Christi 97. diemque 18. Septembris.* Ea etenim die, quæ natalis erat Neruæ, Traianus ab eodem in consortium imperij vocatus fuit. Sed dies 18. Septembris non erat dies natalis imperij, sed vitæ Traiani. Scribit Plinius in panegyri versus finem: *Nam quòd eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quàm pulchrum nobis, quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio letum, qui principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit?* Itaque die 18. Septembris occisus est Domitianus, electus Nerua, ac Traianus in lucem editus. Hinc in catalogo veteri apud Bucherium pag. 276. in quo ortus Principum & quidem meliorum describuntur, legimus: *Diui Traiani XIV. Kal. Octobris.* Quæ verò dies natalis imperij eiusdem fuerit,



ignoratur. Certum tamen est ante exitum anni Christi 97. Traiani inaugurationem contigisse; Nam, inquit Plinius in panegyrico ad eundem, *secundum consulatum Imperator quidem, sub Imperatore tamen inisti*. Anno 98. ambo Imperatores Nerua IV. Traianus II. consules Kal. Ianuarijs processere. Addit Reformator: *Videtur procul dubio Traianum Romam accitum, & per aliquot tempus Nerua in imperio regendo satisfacisse*. At Plinius in panegyri ait: *Gessisti alterum consulatum scio: illum exercitibus, illum provincijs, illum etiam ceteris gentibus poteris imputare non nobis. Audiuius quidem te omne munus consulis obijisse, sed audiuius &c.* Ergo Traianus anno 98. Roma absens, consulatum secundum gessit, nec morienti Neruæ adfuit. Imò cum ineunte anno etiam 99. difficili bello occuparetur, Roma aberat, vnde delatum consulatum tertium recusauit. Audiatur Plinius: *Atque ego video proximo anno consulatus recusandi hanc præcipuam fuisse rationem, quod eum absens gerere non poterat*. Hæc quidem certissima sunt. Idem Plinius lib. 10. epist. 28. scribit ad Traianum, se XV. Kalendas Octobris Bithyniam intrasse, additque: *Non possum de mora queri, cum mihi contigerit, quod erat auspiciatissimum, natalem tuum in provincia celebrare*. Nempe die insequenti. De die verò natali imperij scribit epist. 60. sed quinam is fuerit, non exponit.

Hadrianus decennalia ac vicennalia celebrauit, quorum diem disertè prodit Spartianus cap. 4. *Quinto, inquit, Iduum Augusti die, legatus Syria literas adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari iussit*. Tertio Iduum earundem quando & natalem imperij instituit celebrandum, excessus ei Traiani nuntiatus est. Inijt imperium Hadrianus A. V. 870. Æræ Dionysianæ 117. Itaque decennalia egit A. V. 880. Vicennalia A. 890. die vndecima Augusti. Ptolomæus in Almagesto plures obseruationes cœlestes describens, easque annis Nabonassari atque Imperatoris Hadriani assignans, vno anno initia imperij Hadriani, eiusque successoris Antonini anteuertit. Scaliger lib. 5. de emend. temp. pag. 456. annum imperij Domitiano aufert, scribens eundem ineunte anno XV. imperij occisum fuisse, nempe A. æræ vulgaris 95. die 18. Septembris; qua ratione initia Traiani, Hadriani, atque Antonini vno anno citiùs, quàm in fastis, collocat. Verùm ex Numismatum inscriptionibus eiusdem prochronismus refellitur; siquidem Domitianus in nummis dicitur TR. P. XVI. quare attigit annum XVI. augustæ dominationis. Tacitus qui ludis secularibus Domitiani inter XV. viros præfuit, in procæmio ad vitam Agricolæ ait: *Quid si per quindecim annos, grande mortalis aui spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque seuitia Principis interciderunt*. Cruentum Domitiani imperium ibidem describit. Præterea Suetonius cap. 16. testatur Domitianum pridie quàm periret affirmasse, fore *ut sequenti die Luna se in Aquario cruentaret*. At anno Christi 96. die 18. Septembris, qua occisus est Domitianus, Luna fuit in 23. gradu minut. 10. Aquarij, vti Caluissius eruditè obseruauit.

Petauius lib. 11. de doct. temp. cap. 22. scribit se per diu miratum fuisse Ptolomæi à Romanis fastis dissidium; denique putat Ptolomæum quendam canonem adhibuisse, in quo Romanorum Principum initia à Caio Caligula vno anno anteuertuntur; inde vnus anni labes eidem contracta. Sed Petauij opinio refellitur ex lib. 7. Almagesti cap. 3. vbi Ptolomæus recenset obseruationem cœlestem anno diuodecimo Domitiani, Nabonassari verò 840. die 2. Tybi mensis, cum Luna operij vltimam pleiadis meridianam. Fuit dies 29.

Novem-



**Nouembris A. 92.** Epochæ vulgaris, quo tempore à die 13. Septembris duodecimus Domitiani annus labebatur Nabonassari 840. Igitur Ptolomæus in annis Romanorum Principum ab imperio Caij numerandis, non deficit, cum à Caij obitu anno quinquagesimo primo eosdem rectè digesserit. Cum Traianus in imperij societatem à Nerua vocatus fuerit, anno autem insequenti Nerua diem obierit, suspicor Ptolomæum annum primum Traiani illum putasse, quo Imperator à Nerua dictus fuit, ac eiusdem initia retraxisse ad IV. Kal. Februarias A. 97. vnius anni prochronismo. Etenim lib. 7. cap. 3. refert anno primo Traiani Nabonassari 845. die 16. Mechir ineunte, spicam Virginis Luna coopertam fuisse, hora quinta post mediam noctem, & post horam iterum Spicam apparuisse. Contigit hæc obseruatio die 11. Ianuarij A. 98. quo tempore adhuc superstes erat Nerua Imperator, à cuius tantum obitu anni imperij Traiani Dioni, Eutropio, Chryseroti, ac ceteris scriptoribus numerari cœpti sunt. Sed his adhuc obstat, Ptolomæum imperante Antonino scripsisse, & tamen annos imperij eiusdem vno semper anno anteuertere. Fatéor me huic nodo soluendo non esse, fastos tamen Panuini exactissimè digestos ex dicendis constabit, vbi iterum de Ptolomæi ab iisdem dissidio sermo redibit.

### C A P V T III.

*Decennalia Antonini Pij primùm in Nummis scalptra visuntur. Panuini opinio de anno eorundem expenditur. Ptolomæi prochronismus ex antiqua inscriptione ac Nummis demonstratur. Vulgaris opinio de annis imperij Hadriani reijcitur. Marci Aurelij initia ac Decennalia exponuntur. Baronij sententia de anno delata Commodi Tribunitie potestatis, ex Nummis Mediceis emendata. Plura Numismata Commodi illustantur.*

**C**æsarum Decennalia in nummis Antonini Pij primùm scalptra visuntur; num in decessorum Principum Numismatibus eadem vota signata fuerint, in incerto latet; sanè nullum id genus nummum hucusquè Antiquarij prodiderunt. Antoninus Pius A. V. 890. vsque ad Parilia, Epochæ Christianæ 138. ab Hadriano, teste Capitolino cap. 4. *adoptatus est V. Calend. Martias die, factusque est patri & in imperio proconsulari & in tribunitia potestate collega.* Vota decennalia soluit exacto decennio A. V. 900. die 25. Februarij. Extat in gaza Medicea mediocris idemque vulgaris nummus cum epigraphe: ANTONINVS AVG. PIVS. P. P. TR. P. XI. & in auersa PRIMI DECENNALES COS. III. Rursus anno vicesimo euoluto Vota decennalia secunda soluit, & in tertium decennium nuncupauit. Laudatur à Panuino lib. 2. fast. & ab Oecone nummus inscriptus: ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XXI. & in postica: VOTA SOL. DEC. II. COS. III. Ea solemnia quæ sequiori ætate vicennalia dicta sunt, id temporis decennalia secunda nuncupabantur. Panuinus lib. 2. com. in fastos A. V. 901. ait: *Hoc anno more veteri, Pij decennalia acta, & anno sequenti vota decennalia II. suscepta;* Etenim laudat nummum signatum: ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XXII. & in auersa parte: VOTA SVSCEPTA DEC. III. Huius inscriptionis Numismata visuntur in Gaza Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI, & in celebri Cimeliarchio Ioannis de Lazara Comitissæ Patavini, & laudantur Occoni, alijsque Antiquarijs. Antoninus  
anno

anno A. V. 900. V. Kal. Martij iniens Tribunitiam Pot. XXI. vota decennalia secunda soluit, & Anno insequenti eadem die inchoata Tribunitia Pot. XXII. vota decennalia tertia suscepit. Hæc doctissimo viro sententia stetit, quam tamen prorsus falsam existimo. Cur enim Antoninus votis decennialibus II. solutis, in alterum annum decennalia tertia nuncupanda distulisset? Profectò eadem die, exacto imperij decennio, vota solvebantur, & noua in alterum decennium concipiebantur. Liuius lib. 7. dec. 3. scribit: *Tunc Dictator & ludos fecit, & insequens quinquennium vovit*. M. Antoninus, vt proximè ostendam, cum esset Trib. Pot. XXV. exacto imperij decennio, vota decennalia egit, simulque vicennalia nuncupauit. Plinius lib. 10. epist. 44. scribit Traiano: *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscipimus, Domino pariter & soluimus*; & rescribit Traianus libenter se intelligere eundem cum prouincialibus & soluisse vota & nuncupasse. Imò extat nummus Antonini cum epigraphe apud Occonem: ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XXII. & in postica parte: VOTA SOL. DECEN. II. COS. IV. vt planè pareat, eodem anno Trib. Pot. XXII. & soluisse vota decennalia II. & decennalia III. suscepisse.

Cum Cæsares in spem imperij ab Augustis euecti, Tribunitia potestate ornarentur, ac iisdem Imperatoribus defunctis rei Romanæ fastigium occuparent, bis decennalia festa celebrabant, nempe elapso decennio ab accepta Tribunitia potestate, itemque euoluto decennio ab obitu Imperatorum, quibus in imperio successerant. Constat id ex nummis Antonini Philosophi, Commodi, & Caracallæ, quos suo inferiùs loco producam. Itaque Antoninus Pius A. V. 910. vsque ad parilia Christianæ Epochæ 158. V. Kal. Martij vota decennalia secunda soluit, exacto vicesimo anno Tribunitiæ potestatis, vt patet ex nummo, in quo cum TR. P. XXI. eorundem votorum solutio obsignatur. At anno Urbis 911. Æræ Christi 159. die VI. Idus Iulij, qua mortuo Hadriano, solus imperium capeßiuit, vota iterum decennalia secunda soluit, & tertia suscepit, vt constat ex laudatis nummis, in quibus inscribitur TR. P. XXII. illam enim inierat eodem anno V. Kal. Martij. Ex his nummorum inscriptionibus omnium pænè scriptorum, præsertim recentiorum, chronologia refutatur; siquidem putant eodem anno 138. vulgaris Æræ die 25. Februarij Antoninum ab Hadriano adoptatum fuisse, delata eidem Tribunitia potestate cum imperio proconsulari: die verò decima Iulij in demortui Hadriani locum successisse. Hinc Hadriano tribuunt imperij A. 20. M. 11. Verùm ex recitatis nummorum inscriptionibus, colligo mortem Hadriani anno 139. contigisse, Antonino Pio II. & Bruttio Præsente Coss. ac proinde Hadrianum imperasse annos XXI. menses XI. Profectò antiqui omnes Latini scriptores meæ sententiæ suffragantur. Spartianus qui Hadriani vitam diligentissimè in literas misit, capite 26. ait: *Imperauit annis XXI. mensibus XI.* Victor Schotti scribit: *Apud Baias tabe interijt anno imperij absque mense vicesimo secundo*. Eutropius lib. 8. *Obijt in Campania sexagenario maior, imperij anno XXI. mense X. die XXIX.* Hoc ipsum vetustæ lapidum inscriptiones euincunt apud Gruterum pag. 252. & 256. in quibus Hadrianus inscribitur TRIB. POT. XXII. Igitur anno imperij vicesimo secundo interijt. Appello etiam testem Capitolinum in vita M. Aurelij cap. 5. *Octauodecimo*, inquit, *ætatis anno adoptatus, in secundo consularu Antonini*  
iam

*iam patris sui Adriano ferente ; gratia ætatis facta , quæstor est designatus . Et statim*  
*cap. 6. Adriano Baijs absumpto , quum Pius ad vehendas eius reliquias esset profectus ,*  
*relictus Romæ , a quo iusta implevit , & gladiatorium , quasi priuatus quæstor , edidit mu-*  
*nus . Habemus M. Aurelium in secundo consulatu Antonini , nempe anno*  
*139. Hadriano gratiam annariæ legis petente , quæstorem designatum quo in*  
*magistratu eiusdem auus Hadrianus Imperator interijt . Itaque ex Capitolino*  
*obiit Hadrianus Antonino Pio II. & Bruttio Coss.*

Ex his locupletissimis testimonijs Cryserotis , Dionis , aliorumque Græco-  
rum sententia refellitur , qui tradunt Hadrianum anno imperij XX. mense XI.  
obiisse , cum quibus Panuinus , Sigonius , Goltzius , Caluissius , alijque vulgò  
sentiunt ; simulque vota decennalia Antonino TR. P. XXII. soluta & nun-  
cupata exponuntur , quæ in vulgari opinione nulla planè ratione cum anno vi-  
cesimo secundo Tribunitiæ potestatis componi possunt . Ptolomæus lib. 11.  
Almagesti cap. 1. ait de stella Iovis : *Anno XXI. Hadriani Pæphi 13. seq. 14. ante*  
*mediam noctem horis duabus , inuenimusque in gradu piscium 7. 54. Item : Primo An-*  
*tonini anno Athir secundum Ægyptios die 20. seq. 21. post mediam noctem horis 5. in-*  
*uenimusque Iovem in gradu Arietis 14. 23. additque inter utramque obseruatio-*  
*nem interiacere annum Ægyptiacum unum , dies 37. & horas 7. Prior obseruatio*  
*contigit anno nostræ Epochæ 136. die 31. Augusti , altera anno 137. die 8.*  
*Octobris , vti ex tabulis Prutenicis obseruatum est . Errat Ptolomæus etiam*  
*in designandis initijs imperij Pij ; nam ex inscriptione antiqui lapidis , ac vetu-*  
*stis scriptoribus ostendam Antoninum anno 138. ad imperium euectum . Ce-*  
*terum postremum Hadriani annum Antonini imperij primum fecit , quod ille*  
*longo ac difficili morbo correptus , procul ab imperij curis extra Urbem id*  
*temporis degit .*

Anno Æræ Dionysianæ 161. V. C. 913. vsque ad Parilia , M. Aurelium An-  
toninum , mortuo Pio Nonis Martij , vti ex Dione deducit Panuinus , impe-  
rium cum Augusti titulo obtinuisse ex duabus antiquis inscriptionibus demon-  
stro . In fragmento eruto Romæ apud Vaticanum anno 1596. hæc leguntur  
Gruteri pag. 300.

M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III.  
L. AELIO. AVRELIO. COMMODO. II. COS.  
COOPT.  
L. PETRONIVS. SEVERVS. NO. I. ANVS.  
P. R. C. ANN. DCCCCXIII.

Alterum epigramma extat apud Panuinum A. V. 914. & Gruterum pag. 63.

POMPONIUS. FAVSTVS.  
SILVANVM.  
CVM. BASE. D. D.  
DEDICAVIT. IDIBVS. APRILIBVS.  
IMP. M. AVRELIO. ANTONINO III. IMP. VERO.  
AVGVSTO. COS. II.

Prior inscriptio posita est A. V. 913. à Kalendis Ianuarijs vsque ad Parilia ,  
nam XI. Kal. Maij inchoabatur annus Urbis 914. iuxta supputationem Varro-  
nianam . Fuit annus Epochæ Christianæ 161. Posterior verò inscriptio dicata  
fuit

fuit post Nonas Martias. Horum ratio est, quia in priori epigrammate M. Antoninus dicitur *Ælius Aurelius Caesar*, eiusque collega *Ælius Aurelius Commodus*; etenim duo isti Principes post Antonini Pij mortem noua sibi nomina primum imposuerunt. Scribit Capitolinus in M. Aurelio cap. 7. *Post excessum Dini Pij à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designauit, quem L. Aurelium Verum Commodum appellauit, Caesaremque atque Augustum dixit. Antonini mox ipse nomen recepit.* In altera verò inscriptione vterque dicitur Imperator, & vnus *Antonini*, alter *Veri* nomine appellatur. Extant etiam in gaza Medicea nummi maioris magnitudinis cum epigraphe: AVRELIVS CÆSAR AVG. PII F. & in postica visitur quadriga triumphalis cum inscriptione: TR. P. XV. COS. III. Item Numisma obsignatum IMP. CAES. M. AVRELIVS ANTONINVS AVG. & in postica: CONCORDIAE. AVGVSTORVM. TR. P. XV. COS. III. Itaque anno 161. Nonis Martij mortuo Antonino Pio, M. Aurelius erat Tribunitiæ potestatis XV. Ex priori inscriptione Panuini facti confirmantur, qui A. V. 914. à parilibus consules ponit Impp. Antoninum III. & Verum II. ex altera verò Epocha imperij M. Aurelij Antonini demonstratur, simulque initia decessoris Pij ostenduntur collocanda ad A. Christianæ Æræ 138. Scribit Capitolinus in M. Aurelio cap. 5. Antoninum Pium V. Kal. Martias ea lege ad imperium euectum, vt sibi M. Aurelium, & hic Lucium Commodum adoptarent. His autem peractis ait: *Iussusque in Adriani priuatam domum migrare, inuitus de maternis hortis recessit.* Postea cap. 7. Denique, inquit, *per viginti & tres annos in domo patris ita verjatus, vt eius quotidie amor cresceret, nec prater duas noctes per tot annos ab eo emanisset duabus vicibus.* Idem Scriptor in Vero cap. 3. ait: *Fuitque priuatus in domo Imperatoris viginti & tribus annis.* Quare si ab anno Christi 161. quo contigit mors Antonini Pij, succedentibus M. Aurelio, & Vero, per viginti & tres annos retrocedamus, initium imperij Pij erit A. 138. V. Kal. Martias, ac proinde errarunt Ptolomæus ac eundem secutus Scaliger imperium Antonini anno 137. auspicantes. Marcus Aurelius Antoninus, cognomento Philosophus, euoluto decennio imperij, vota decennalia soluit, ac decennalia secunda suscepit A. 171. Nonis Martijs, cum esset Tribunitiæ potestatis XXV. In Cimelijs Mediceis visuntur nummi hisce notis obsignati: IMP. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. & in postica: VOTA SOL. DECENN. COS. III. S. C. Item PRIM. DECENNALES. Apud Occonem: VOTA SVSCEPTA DECENN. II. COS. III. Obijt M. Aurelius ex Dione ac Tertulliano XVI. Kal. Aprilis A. 180. imperauit A. 19. ac mensem. Cum verò nulla eiusdem Numismata decennalia secunda soluta exprimant: statum eorundem solemnium tempus seruauit: neque eadem ineunte anno vicesimo augustæ dominationis celebrauit.

M. Aurelius Commodum excepit, imperij non autem virtutum hæredem. Porro Numismata Commodi cum sub diuersis annis Tribunitiæ potestatis VOTA exprimant, non leue negotium faceffunt. Baronius ad A. 178. scribit Commodum à M. Antonio patre designatum Imperatorem Pollione II. & Apro II. Coss. adeptumque, inquit, *hoc anno Tribunitiam potestatem nummi demonstrant & Capitolinus.* Gessere illi consulatum A. V. 929. Christi 176. Peccat anni metachronismum. Cernuntur in Cimeliarchio Magni Ducis quatuor nummi Commodi

modi maioris magnitudinis cum epigraphæ: **M. COMMODVS ANT. P. F. AVG. BRIT. &** in alia parte: **P. M. TR. P. XVII. IMP. VIII. COS. VII. P. P. S. C.** Rursus alter in postica inscriptus: **HERC. ROM. CONDITORI P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. S. C.** Gessit Commodus septimum consulatum A. V. 945. Christi Domini 192. quo exeunte nocte ante Kal. Ianuarias occisus fuit, ex Dione teste oculato. In eiusdem etiâ epitaphio apud Panuinum legitur: **TRIBVNITIAE POTEST. XVIII. IMP. VIII. CONSVLIVII.** Si anno postremo imperij eiusdem finita TR. P. XVII. inierat XVIII. primam Tribunitiam potestatem suscepit A. 175. Pisone & Iuliano Coss. Id contigisse die vicesima Ianuarij putauit Panuinus, quem de more sequuti sunt Caluissius ac Goltzius. Scribit Lampridius cap. 12. Pisone & Iuliano Coss. A. 175. Commodum die 20. Ianuarij *assumptum fuisse in omnia collegia sacerdotalia*; die verò 19. Maij *in Germaniam cum patre profectum*. Quare quo maiori cum potestate ad exercitum veniret, potestatem Tribunitiam suscepit die 27. Februarij, qua eadem ornati fuerant pater, & auus; vel certè Nonis Martij, die Natali M. Aurelij patris. Ita diem liceat diuinare. Addit ibidem Lampridius: *Appellatus Imperator V. kal. Exuperatorias*, nempe die 27. Nouembris, *Pollione iterum & Apro Coss.* cum id temporis gereret Trib. Pot. II.

His quæ planè certissima sunt, stabilitis, plurima Commodi Numismata quorum epigraphas Occo recitat, facillimè explicantur. Vñs autem sum volumine huius diligentissimi Antiquarij edito Augustæ Vindelicorum A. 1600. è selecta bibliotheca nobilissimi Domini Abbatis Aloysij Strozze potentissimi Galliarum Regis apud Serenissimum Magnum DVCEM ministri. Extat in scriniis Comitis Ioannis de Lazara Numisma Commodi inscriptum **VOTA DECENN. SVSC. TR. P. VI. IMP. III. COS.** Legitur eadem inscriptio apud Occonem pag. 316. Rursus alter nummus apud laudatum Comitem inscribitur: **SAEC. FEL. P. M. TR. P. VI. &c.** & in clypeo à Victoria appenso: **VOT. DEC.** Hæc vota decennalia suscepit A. V. 180. die 17. Martij, qua die patre defuncto solus imperium obrinuit, anno VI. TR. Pot. Rursus apud Occonem pag. 322. inscribitur nummus: **M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. &** retrorsus **VOT. SOL. DEC. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P.** Gessit Commodus quintum consulatu A. V. 186. quo quidem anno die 27. Nouembris fungens Tribunitia potestate XII. decennium communicati sibi à Patre imperij expleuit, ac vota decennalia soluit. Hinc apertè reijcitur Baronij sententia dicentis Commodum vnâ simul Tribunitiam potestatem & Imperatoris dignitatem ab Augusto patre accepisse, cum annus imperii decimus exierit duodecimo Tribunitiæ potestatis. Denique pag. 326. apud laudatum antiquarium Numisma Commodi in corona quercea hanc inscriptionem præfert: **VOT. XX. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C.** Anno Epochæ Christianæ 190. idem Augustus fuit consul sextum quo anno desinente decennio, ex quo patre defuncto, rei Romanæ administrationem acceperat, vota decennalia soluit, ac vicennalia nuncupauit. Eadem tamen solemnia dies aliquot anticipauit, antequam annum TR. P. XV. expleret. Obseruauit Panuinus in nummis Commodi vota in alterum decennium nuncupata, vicennalia primitus appellata, cum antea decennalia secunda dicerentur, vt ex nummis Antonini Pij, & M. Aurelij ostensum est.

M

C A.

## CAPVT IV.

*Septimij Seueri Decennalia. Dionis Interpres castigatur. Baronij ac Panuini opiniones de anno delatæ Antonino Caracallo Tribunitiæ potestatis examinantur. Inscriptionum veterum contradictiones tolluntur. De die Ludorum secularium Seueri error Panuini. Decennalia Antonini, eorumque annus statuitur. Occo Caracallo Nummos Elagabali perperam deputat. Antoninus omnium primus vicennalium tempus antecurrit. Alexandri Seueri Decennalia in Nummo Mediceo inscripta.*

**I**mperatore Commodò Kal. Ianuarijs V. C. 945. vsque ad Parilia, vulgaris Epochæ 193. occiso, ac breui quinque mensium spatio Pertinace, dein Didio Iuliano violenta morte sublatis, vt ostensi potius, quàm dati Principes visi fuerint, Septimius Seuerus Kalendis Iunijs S. C. Tribunitiam potestatem cum Augusti titulo accepit, quem ante paucos dies Pannonici exercitus Imperatorem salutauerant. Extat argenteus Seueri nummus in Cimelijs Serenissimi Cardinalis LEOPOLDI cum epigraphe: VOTA SVSCEPTA X. Hæc decennalia splendidissima pompa eidem Imperatori celebrata recitant Dio & Herodianus. Interpres Dionis ex Xyphilini excerptis scribit: *Interea Seuerus, postquam attigit decennium principatus sui, congiario populo prætorianisque militibus dato, eis tot aureos, quot annos imperauerat, dedit.* Quibus videtur significare Seuerum non exacto decennio, vt moris fuerat, sed eodem ineunte decennalia dedisse. Græci Scriptoris verba ita planè nobis interpretanda sunt *ἡ δὲ δεκάτης ἐπὶ τῆς δεκάτης τοῦ ἀρχῆς.* Interim Seuerus circa decennium sui principatus. Quæ de exacto decennio accipienda esse hic nummus ostendit apud Occonem pag. 355. L. SEPTIMIVS SEVERVS PERT. AVG. & in postica: VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Anno 203. Æræ nostræ Kal. Iunij decimo imperij anno exacto, iniens Tribunitiam potestatem vndecimam, decennalia egit. Scribit Spartianus cap. 16. Seuerum Antiochiæ tertium consulatum Antonino filio collega, inisse, nempe anno 202. inde vere appetente, per Palæstinam in Ægyptum se contulisse, & Memphim vsque progressum, interiora provinciæ summa curiositate lustrasse. Itaque Kal. Iunijs cum decimum imperij annum auspicaretur, procul ab Vrbe aberat, & anno tantum insequenti Romæ decennalia celebravit, quæ integram hebdomadam omni genere ludorum complexa Dio testatur. Seueri decennium cum cæteri summa cum hilaritate peragerent, nostris Christianis luctuosum fuit. Auctor est Eusebius lib. 6. hist. Eccl. cap. 2. *Seuero annum imperij decimum agente, ardentissimum persecutionis incendium flagrasse, atque innumerabiles martyrio coronatos.*

In Antonini Caracalli Seueri Aug. F. Tribunitiæ potestatis, itemque decennalium anno statuendo magni viri Baronius ac Panuinus dissentiunt, & ab utroque ipse discordo. Baronius ad A. 210. quem Anullini II. & Frontonis consulu designat, scribit eo anno Antoninum inisse Tribunitiam potestatem, simulque in consortium imperij cum Augusti titulo à patre vocatum. Rursus ad A. 200. Antonino Augusto III. & Geta Cæsare Coss. recitat Antonini decennalia. Quare eadem solemnia, authore Baronio, ineunte anno decimo eiusdem Principis acta fuere. At Panuinus putat Tribunitiam potestatem cum Imperatoris titulo delatam fuisse Antonino Kalendis Iunijs A. V. 951. Saturnino & Gallo

**Gallo Coss. Panuinum exscribunt Caluissius ac Goltzius.** Cum ex nummorum ac lapidum inscriptionibus annum communicatæ Antonino Tribunitiæ potestatis sedulo indagerem, in cimerijs planè tenebris me versari sensi, ac omnem panè inueniendæ veritatis spem abiecissem, nisi satius duxissem rei difficultatem præmonstrare, quam fortè alij, felicioribus auspicijs superent. Extant tria Numismata in gaza Medicea cum epigraphæ: **ANTONINVS PIVS AVG. GER. & retrorsum: P. M. TR. P. XX. COS. III. P. P. S. C.** Eadem potestas Tribunitia Antonini vices aucta in lapidum monumentis legitur apud Gruterum pag. 191. & 270. Obijt Antoninus C. Bruttio Præsente, T. Messio Extricato Coss. VI. Idus Aprilis V.C. 916. ad Parilia: Demonstratur egregiè annus hic obitus memorati Imperatoris. Laudatur in Cod. Iust. rescriptum Antonini *L. 9. de negotijs PP. VIII. kalen. Mart.* itemque *L. 3. de contrahenda stipul. PP. VI. Kal. Mart.* Hæc rescripta proposita sunt *Præsente & Extricato Coss.* Itaque cum illi consules magistratum iniere, Antoninus imperabat. At eundem iisdem Consulibus & imperandi & viuendi finem fecisse probat fragmentum verustum pag. 300. operis Gruteriani.

IMP..... SEVERVS.....

COOPTATVS

C. BRVTIO. PRAESENTE. T. MESSIO. EXTRICATO.

II. COS.

P. R. C. ANN. DCCCCLXX.

**Annus Urbis 970. coincidit cum anno Epochæ Christianæ 217. à Parilibus.** In fragmento veteri consulari apud Bucherium pag. 247. legitur: *Præsente & Extricato Mer.* Etenim anno 217. Kalendæ Ianuariæ incidere in diem Mercurij Cyclo Solis II. Lunæ IX. lit. E. Porro ibidem non dicitur cooptatus Imperator Antoninus, qui nusquam apud latinos Seuerus dictus fuit, sed eiusdem successor Macrinus qui se *Seuerum nuncupauit* ex Capitolino cap. 2. & ex eiusdem nummis constat, in quibus inscribitur: **IMP. CAES. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG.** Quare anno Urbis 916. Antoninus Seueri Aog. F. occisus fuit, & quidem octauo die Aprilis, vt scribit Dio qui eidem conuixit. Cum verò in inscriptionibus marmorum ac Numismatum idem dicatur Tribunitiæ Pot. XX. eandem potestatem cum Augusti nomine primùm accepit A. 198. Saturnino & Gallo Coss. Extat Romana inscriptio apud Panuinum A. V. 913. & Gruterum pag. 269. cuius hoc fragmentum subiiciam.

M. AVRELIO ANTONINO

PIO FELICI AVG.

TRIB. POTEST. III.

PRO. COS. &c.

DEDIC. PR. NON. APRIL.

TI. CLAVDIO SEVERO. C. AVFIDIO VICTORINO COS.

Posita est inscriptio A. V. 953. die 21. Aprilis inchoando, Aeræ vulgaris 200. die 4. Aprilis. Quare si id temporis Antoninus inierat Trib. Pot. III. anno 217. VI. Idus Aprilis occisus, agebat TR. Pot. XX. vti in nummis, & lapidibus laudatis inscribitur.

His tamen opponuntur insignia elogia, quæ etiamnum visuntur Romæ, ex

M 2 quibus



quibus post Kal. Iunias A. 198. enuncitur tradita Antonino Tribunitia potestas. In superiori parte Panthei legitur.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS. SEVERUS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS.  
 ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI.  
 COS. III. P. P. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AVRELIVS. ANTONINVS.  
 PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POT. V. COS. PROCOS. PHANTHEVM. VETV  
 STATE. COLLAPSV. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT.

Seuerus Augustus A. V. 956. Christi Domini 203. Kal. Iunij inibat TR. P. XI. cum qua cum copuletur TR. P. V. Antonini, fit consequens, ut Antoninus anno V. 951. nostræ Epochæ 198. post Kalendas Iunias primam Tribunitiam potestatem auspicatus fuerit. Rursus in porticu templi S. Angeli in foro piscario visitur epigramma, in quo Tribunitia potestas sexta Antonini cum vndecima Seueri iungitur. Habetur apud Gruterum pag. 172. In celebri arcu Septimij, in foro Romano Seuerus inscribitur TRIBVNIT. POTEST. XI. Antoninus verò: TRIBVNIT. POTEST. VI. At in altera item Romana inscriptione Gruteri pag. 191. Seuerus dicitur TRIB. POT. XI. Antoninus TRIB. POT. V. Si cum Tribunitia potestate vndecima Seueri concurrat quinta, & sexta Antonini, minùs rectè Panuinus & alij asserunt Kalendis Iunij die natali imperij Seueri Antoninum Tribunitiam potestatem accepisse. Sanè Panuinus priorem illam inscriptionem referens A. V. 956. pro XI. scripsit X. Sed ex altero elogio reiicitur; neque tam facilè est lapides ac membranas corrigere. Laudantur aliæ inscriptiones antiquæ, in quibus Tribunitia potestas prima Antonini cum VI. Seueri coniungitur apud Gruterum pag. 1020. rursus cum VII. eiusdem Seueri pag. 264. Ex tot elogijs luculenter probatur Antoninum A. 198. post Kal. Iunias designatum fuisse Augustum delata eidem Tribunitia potestate. Quare anno 217. VI. Idus Aprilis occisus, agebat annum Trib. Pot. XIX. qui igitur fieri potest ut in nummis & lapidibus eiusdem Tribunitia Pot. XX. & anno 200. die 4. Aprilis tertia inscripta fuerit? Reinesius lib. 1. Variar. cap. 21. volumen promissit inscriptum: *Examen inscriptionum veterum*; at ille vitam ante operis editionem expleuit. Huius eximij voluminis autographum Ioannes Fritzsche Typographus Lipsiensis apud se esse testatur in epistola nuncupatoria ad Librum Gutheri de iure Manium. Iacobus Sponius vir eruditissimus supra tria millia inscriptionum collegit, quæ in Gruteriano thesauro desiderantur; idem verò nunc in Græciam nauigationem adornat, antiqua elogia ex temporis æ barbarorum iniurijs æternitati asserturus, suamque in Galliam redux, grandi volumine has omnes ac reliquas insuper lapidum difficultates infringeret.

Seuerus A. V. 949. Æræ Dionysianæ 196. contra Albinum mouens, apud Viminatium in superiori Mysia Antoninum filium Cæsarem destinavit ex Spartiano cap. 10. Quòd verò Senatus consultum nondum accessisset, dictus est Antoninus Cæsar destinatus. Constat hoc ex inscriptione pag. 300.

LATERANO. ET RVFINO. COS.  
 COOPTATVS. EX S. C.  
 M. AVRELIVS. ANTONINVS.  
 CÆS. DESTINATVS.

la

In altera etiam inscriptione Narbonensi pag. 266. Seuerus dicitur TRIB. POT. III. & ibidem laudatur Iulia Donina M. AVRELL. ANTONINI. CAES. mater. Tribunitia potestas IV. Seueri exhibat A. 197. Laterano & Rufino Coss. Victus est Albinus ex Spartiano in Seuerio cap. 11. die 19. Februarij A. 198. Tunc Seuerus inter festa ob reportatam victoriam dum de more Imperator ab exercitu salutaretur, nempe IX. X. & XI. vt ex nummis deduco, Antoninum Caesarem abs se antea dictum, Imperatorem Augustum destinavit, Tribunitia potestate eidem delata. Hinc in vna & altera inscriptione legitur pag. 267.

M. AVRELIO. ANTONINO. CAES.  
IMP. DESTINATO.

Seuerus Galliae ac Britanniae rebus compositis, eodem anno 198. Romam venit, iussitque Senatui, vt Antonino Caesari Imperatoris insignia decerneret. *Caesarem deinde*, inquit Spartianus cap. 14. *Babianum filium suum Antoninum a Senatu appellari iussit, decreti imperatoris insignibus.* Hinc factum est, vt cum quidam annos augustae dominationis Antonini numerarent à die qua ille in Gallijs à Patre destinatus fuerat Imperator, alij verò à die qua S. C. nomen & insignia imperatoriae eidem tradita sunt, in signandis annis Tribunitiae potestatis Antonini variaverint. Ex his refellitur Panvinus, qui putauit Seuerum A. V. 957. die suo natali Kal. Iunijs ludos seculares celebrasse; nam Kal. Iunijs Antoninus agebat Tribunitiam potestatem VI. cum pater Seuerus duodecimam iniit. In nummis verò legitur: ANTONINVS PIVS AVG. PONT. TR. P. VII. & in postica parte: COS. LVD. SÆC. FEC. S. C. Cum verò ludi seculares teste Zosimo initio lib. 2. ederentur post messem, mense circiter Iulio Antoninus Trib. Pot. VII. iniuit, labente Seueri XII, quæ vna cum eiusdem ludis secularibus in nummis obsignatur.

Ex his chronologicis & quidem difficillimis tricis ad Antonini Caracalli decennalia redeo. Exstat nummus apud Occonem pag. 374. inscriptus: ANTONINVS PIVS AVG. & in altera parte; VOT. SOLVT. DEC. COS. III. Anno Domini 208. Antoninus III. consul fuit vna cum Geta Caesare II. Cum anno 198. Tribunitiam potestatem, nomenque Augusti obtinuerit, vt ex pluribus inscriptionibus probatum est, palam fit, eundem anno imperij decimo euoluto, decennalia celebrasse. Baronius scribit eundem designatum Imperatorem Anno 201. illius autem decennalia recitat initio A. 210. Panvinus ait eundem Imperatoria insignia accepisse A. V. 951. decennalia verò egisse A. V. 960. A pro & Maximo Coss. Quare vtrique anno decimo imperij ineunte, decennalia Antonini perperam statuuntur; ita tamen vt Baronius Antoninum vno anno tardius Augustum faciat; Panvinus vno item anno decennalia anticipet. Errat etiam Occo dum nummum decennialium Antonini recitat Pompeiano & Auito Coss. A. 209. Trib. Pot. Antonini XII. cum ad annum superiorem ea solemnia retrahenda sint, Antonino Trib. Pot. XI. ineunte. Sed aliud in super Occoni erratum est; siquidem pag. 369. & 370. nummos Antonini in postica signatos: PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. Caracallo attribuit, cum expriment Imp. Elagabalum Antoninum; ille enim anno 205. consul fuit, ac Tribunitiam potestatem VII. Kal. Ianuarijs gerebat. Elagabalus anno Epochæ Christianæ 218. erat TR. P. II. COS. II.

Anto-

Antoninus primus Romanorum Principum statum vicennalium tempus anteverit. Proferuntur ab Occone eiusdem numismata in postica parte haud epigraphen exhibentia: TR. P. XX. COS. III. P. P. VICT. PART. vbi cernitur Victoria in clypeo inscribens: VOT. XX. Anno 217. Tribunitiam potestatem vicefimam auspicabatur, quo tempore vicennalia imperij egit, quæ in eunte anno XXI. veteri more, celebrari debuerant. Diocletianus ac Constantinus vicennalium tempus vti Antoninus, vno anno anticiparunt, vt postea ostendam. Ab Antonino ad Gallienum viginti Principes Romano imperio præfuerunt, quos inter vnus Alexander Seuerus decennium augusti regiminis expleuit; ceteri intra paucos annos violenta morte sublati sunt, vno Hostiliano dempto, qui pestilenta interiit. In Alexandri nummis Occo pag. 415. vnum profert in auersa parte signatum: VOTIS DECENNALIBVS. Vbi nuncupata initio imperij vota exprimuntur. Extant in gaza Serenissimi Magni Ducis COSMI III. Numismata Pupieni, Balbini, Maximini, Æmiliani, Volusiani, Decij, item in Cimelijs Serenissimi Card. LEOPOLDI, nummi Pertinacis, Hostiliani, & Galli Treboniani, in quibus omnibus legimus: VOTIS DECENNALIBVS. Cum nullus eorundem Imperatorum quartum imperij annum attingerit, imò quidam paucos tantum menses Principes vixerint, colligimus laudatam epigraphen designare vota, quæ in ipsis imperij auspicijs iidem in decennium susceperunt. Alexander de more anno decimo exacto, nempe nostræ Epochæ 232. Lupo & Maximo Coss. vota decennalia soluit, & vicennalia nuncupauit. Hæc vota exprimuntur in nummo gaza Mediceæ, in quo Alexandri effigies visitur cum inscriptione in postica: VICTORIA AVGVSTI: Et in clypeo VOT. X. à Victoria scribuntur.

## C A P V T V.

*Gallieni Decennalia. Consulares tabula imperante Gallieno Panuino, Baronto, ac Petaulo descripta recitantur. Vnus Panuinus easdem rectè digessit. Duo collegia Consulatum minus rectè à Baronio ex fastis expuncta. Par consulatum perperam ab eisdem in fastos intrusum. De consulatibus suffectis cum ordinarijs primum numeratis V. C. opinio reucllitur. De consulatibus Gallieni, & de annis iteratæ Tribunitiæ potestatis Petauij sententia corriguntur.*

**G**allieni Imperatoris decennalia eximia pompa peracta laudat Trebellius Pollio in libello de vita eiusdem cap. 8. *Romam*, inquit, *curfu rapido conuolauit: conuocatisque patribus, decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum.* Vbi pompam processus ad sacrificia, victimarum, ac ferarum numerum, gladiatores insuper ac histriones fusiùs describit. Annum verò horum decennalium haud tanti esset inquirere, nisi hac occasione Romanos fastos, qui Gallieni imperium complectuntur, susdequæ confusos, integræ fidei reddere possem, explosis eorum opinionibus, qui vetustis monumentis omissis, pro arbitrio paria consulum dempsere, alia addere. Non est hic animus in examen vocare inferioris notæ Scriptores, sed eos tantum qui in re Chronologica atque Historica ob eximiam eruditionem, primas inter recentes tulere. Panuinus hoc in campo ceteris facem prætulit. Verum in digerendis laterculis Consulatum Gallieno imperante, alienas plane semi-

femitas calcarunt Baronius, ac postea Petavius. Horum igitur trium sententias subijciam, ac palam faciam, vnum meum Panvinum exactè fastos consulares deduxisse.

BARONIUS	PETAVIUS	PANVINUS
Anni Christi		Anni Urbis
256. Valerianus Aug. & Maximus.	253. C. Vib. Volusianus II. M. Val. Maximus.	C. Vib. Voluf. A. II. M. Val. Maximus. 1006.
257. Valerianus II. & Gallienus.	254. Valerianus Aug. II. Gallienus Aug.	Valerianus Aug. II. Gallienus Aug. 1007.
258. Valerianus III. & Gallienus II.	255. Valerianus Aug. III. Gallienus Aug. II.	Valerianus Aug. III. Gallienus Aug. II. 1008.
259. Maximus & Glabrio.	256. Maximus & Glabrio.	M. Val. Maximus Glabrio. 1009.
260. Valerianus IV. & Gallienus III.	257. Valerianus Aug. IV. Gallienus Aug. III.	Valerianus Aug. IV. Gallienus Aug. III. 1010.
261. Fuscus & Bassus.	258. Memmius Fuscus Pomponius Bassus.	Memmius Fuscus Pomponius Bassus. 1011.
262. Gallienus IV. & Valerianus Cæsar.	259. Gallienus Aug. IV. Valerianus Cæsar.	Fulvius Æmilianus Pomponius Bassus II. 1012.
263. Gallienus V. & Faustinus.	260. Fulvius Æmilianus Pomponius Bassus II.	Cornel. Secularis II. Iunius Donatus. 1013.
264. Albinus & Maximus.	261. Gallienus Aug. V. Volusianus.	Gallienus Aug. IV. Volusianus. 1014.
265. Gallienus VI. & Saturninus.	262. Gallienus Aug. VI. Pompeius Faustinus.	Gallienus Aug. V. Pompeius Faustinus. 1015.
266. Valerianus II. & Lucillus.	263. Nummius Albinus. Maximus Dexter.	Nummius Albinus Maximus Dexter. 1016.
267. Gallienus VII. & Sabinillus.	264. Gallienus Aug. VII. Saturninus.	Gallienus Aug. VI. Amulius Saturninus. 1017.
268. Paternus II. & Arcefilaus.	265. Valerianus Cæsar II. L. Cæsonius Macer.	Valerianus Cæsar II. Lucillus Macer. 1018.
269. Paternus II. & Marinianus.	266. Gallienus Aug. VIII. Sabinillus.	Gallienus Aug. VII. Sabinillus. 1019.
	267. Quinius Paternus. Arcefilaus.	Quinius Paternus Arcefilaus. 1020.
	268. Quinius Paternus II. Macrianus.	Quinius Paternus II. Marinianus. 1021.

Septem priora paria Consulum Baronij triennij differentiam exprimunt à laterculis consularibus Petavij. Etenim cum Æram Dionysianam, qua vulgò Christiani utimur, biennio anticipasset, eandem distantiam ubique servavit vsque ad imperium Decij, vbi vnum par Consulum ex actis S. Pionij Martyris intrudit, scilicet, *Decium III. & Gratum II. A. 254.* inde illa triennij discrepantia in eiusdem annales fluxit. Postea duo paria Consulum, quæ apud Panvinum leguntur, expungit: nempe Fulvium Æmilianum, & Pomponium Bassum II. & iterum Cornelium Seculare II. & Iunium Donatum: quos falso appositos & adscititios vocat ad A. 262. His autem duobus collegijs Consulum reiectis, ab anno ipsi 263. vsque ad 284. vnius anni discrepantia laborat, qui denique medetur, consulatum Probi II. & Lupi ab ordinarijs excludens. Præterea in consularibus Gallieni hunc laterculum ponit A. 262. *Gallienus IV. & Valerianus Cæsar*. Etenim ex libro nono actorum Valeriani ab Acholio qui magister admissionum Valeriani Augusti fuit, hæc recitat Vopiscus in Aureliano cap. 13. *Quam confedisset Valerianus Augustus in thermis apud Byzantium, presente exercitu, presente etiam officio palatino, assidentibus Memmio Fusco consule ordinario, &c. designavit consulem susceptum Aurelianium his planè verbis, quæ* idem

idem Vopiscus cap. 11. refert: *Consulatum cum eodem Vlpio Crinito in annum sequentem à die undecimo Calend. Iuniarum in locum Gallieni & Valeriani, sperare te conuenit sumpta publico*. Ex quibus doctissimus Historicus contendit post consulatum Memmij Fusci, qui in laudato confesso Consul ordinarius dicitur, ponendos esse Consules ordinarios Gallienum IV. & Valerianum à Kal. Ianuarijs vsque ad 22. Maij, à qua die iniere suffectum consulatum Crinitus & Aurelianus, qui postea imperium indeptus fuit. Ceterum ne nouum par Consulum intrudat, scribit Valerianum *Volusianum* etiam ab alijs in fastis appellari.

Petauius Baronij ratiocinio planè conuictus, anno Urbis 1012. Christi 259. attribuit Consules Gallienum IV. & Valerianum Cæsarem. Nec tamen, ausus vulgares fastos corrigere, anno 261. statuit *Gallienum V. & Volusianum Coss.* qua ratione octo ordinarios consulatus Imperatori Gallieno assignat, cum septem tantum in omnibus fastis eiusdem Principis consulatus asserantur. Quod verò vnum par Consulum intruserat, ne chronologicæ tabulæ luxarentur, expunxit consulatum Secularis II. & Iunij Donati. Idem Petauius lib. 11. de doct. temp. cap. 27. Baronij ac Panuini fastos discutit, ac concludit: *Ita ambo inter se concordēs Dionysianam & vulgare Æram biennio morantur; donec ad Probum Imperatorem peruentum est, ubi biennium uterque tacite dissimulauit. De altero anno, qui omissus est, satis constat; Nam Paulum (voluit dicere Probum) & Paulinum Onuphrius; Baronius verò Probum & Lupum prætereunt. At quodnam par alterum consulum in illorum fastis desideretur, id verò difficile est conijcere. Nec in horum tantum duorum, sed in cæteris unum aliquod par consulum deesse videtur. In his fanè minus rectè calculos pōnit. Nam falsum est Pauuinum biennio Æram Dionysianam morari; liquidem vno tantum anno citius eandem inchoat; nempe V. C. 752. A. Iuliano 44. Augusto XIII. & Plautio Syluano Coss. Baronius verò eandem Æram auspicatur A. V. 751. Iuliano 43. Cornelio Lentulo, & Messalino Coss. Rursus falsum est Baronium Epocham laudatam biennio præuerrere vsque ad imperium Probi; illam enim biennio anticipat vsque ad exitum Decij Augusti, postea vsque ad septimum annum Gallieni triennio ab eadem discrepat. Omissis verò duobus collegijs Consulum, vno tantum anno ab illa de inceptis distat, donec vno consulatu Probi inter suffectos reiecto, anno 280. Messalam & Gratum Coss. statuens, Dionysianam Epocham tandem assequitur. Errat denique Petauius dum iudicat in fastis Panuini vnum par Consulum desiderari, præter consulatum Probi & Paulini, vt inferiùs demonstrabo. Sed de Baronij tabulis priùs dicendum est.*

In primis minùs rectè ex actis Pionij Martyris, nouum par Consulum in fastos intrusit. Extant illa apud Surium & eruditissimum Bollandum in gestis SS. Februarij, eademque annalibus Baronius inseruit A. 254. Initio dicitur captus Pionius *vicefima tertia Februarij Sabbato*, ac per forum tractus, vbi plurimi Iudæi versabantur, quia *cum magnum esset Sabbatum, feriabantur*. In calce verò idem Pionius asseritur martyrio apud Smyrnam coronatus: *Iulio Asiæ Proconsule, Proclo Quintiliano magistratum gerentibus, Consule tertium Mese Quinto Traiano, Decio Augusto: ante IV. Idus Martias, more Romanorum; Asiæ autem more, septimi mensis undecimo, die Sabbati, hora decima*. Hinc Baronio Messius Traianus Decius III. & Gratus II. Coss. asserti anno 254. Et quidem hoc anno dies undecima Martij incidit in Sabbatum, Cyclo Solis XI. Lunæ VIII. lit. A. at vicefima

tertia

tertia Februarij fuit feria quinta, hoc est, dies Iouis; nec dies 23. Februarij, & 11. Martij possunt in eandem feriam coincidere, quorum nihil eidem Scriptori adnotatum est. Sed nec illud verum est mensem Martium esse apud Asiaticos mensem septimum, fuit enim sextus, ut eruditè demonstrat Vsserius in paruo sed planè aureo libello de Macedonum & Asianorum anno Solari cap. 2. Aprilis Romanorum erat apud Asiaticos mensis septimus qui initium auspicabatur à 25. Martij, ut patet ex eiusdem tabulis cap. 4. quas suæ Chronologiæ Reformatae inseruit Ricciolius tom. 1. lib. 1. cap. 20. Itaque apud Asianos septimi mensis dies vndecimus correspondet diei 4. Aprilis iuxta Romanos. Anno 251. dies vndecima septimi mensis fuit feria VI. Cyclo Solis VIII. Lunæ V. lit. E. quare acta illa deprauata sunt, ac corrigenda ex Chronico Alexandrino, in quo Martyrium Pionij dicitur consumatum die 12. nempe Non. Aprilis, quamuis ibidem, uti notauit Vsserius, mensis Asiaticus VI. pro VII. perperam scribatur. Ex his habemus Pionium martyrij palma coronatum mensis septimi duodecima Sabbato, quo charactere designatur annus 251. cui in fastis attribuitur Consules Messius Quintus Traianus Decius III. & Decius Cæsar. Collector actorum S. Pionij pro Cæsare *Decio*, legit *Deltio*, & pro arbitrio *Gratum II.* addidit. Igitur par illud Consulum ex fastis expungendum est.

Michael Alfordus Ecclesiasticorum Britanniae Annalium digestor tomo primo ad A. 262. in fine ait: *Duorum annorum differentia passim occurrit: & illam componere non est, fateor, mearum virium, Baronium tamen libentiùs sequor; quia ille conscribendis Annalibus, labore & industria præcessit omnes.* Hinc ibidem ex tabulis consularibus reijcit Æmilianum & Bassum II. Itemque Secularem II. & Donatum; inserit autem Gallienum IV. & Valerianum Cæsarem. Ita vni Baronio fidem accommodans, à Panuini fastis discedit. Verum rectè vtrumque illud collegium Consulum Panuino assertum, ac annis V. C. optimè assignatum demonstro. Æmilianum ac Bassum II. fuisse Consules ordinarios patet ex omnibus antiquis tabulis, Victorij Aquitani, Prosperi, Idatij, fragmenti consularis apud Bucherium pag. 248. (hos quatuor scriptores nondum editos eruditissimus vir non vidit) Cassiodori, Eusebij canone Chronico, & fastis Siculis apud Scaligerum, Authore denique libelli de præfectis Vrbi. Sed quod remouincit, extant in Cod. Iustiniano plura rescripta Impp. Valeriani & Gallieni iisdem Consulibus signata. Etenim *L. 15. de pactis. L. 12. de transactionibus. L. 4. de conditione ad causam dati. L. 7. de privilegio fisci. L. 5. soluto matrimonio. L. 5. ad l. Fabiam L. 6. quodcum co.* Hæc, inquam, omnia rescripta dicuntur *Data Æmiliano & Basso Coß.* Vnde minus rectè Baronius ad A. 262. initio scripsit: *In codice Iustiniani Bassus semel tantum cum collega Æmiliano consul positus inuenitur, cum septies cum hoc ipso iungatur; & pluries etiam simul nominati fuere, si quis id diligentius velit inquirere.* Putat autem Æmilianum eundem fuisse cum Aurelio Memmio Fusco, cui fuerit quoque cognomen *Æmilianus*. Verum *Tusci & Bassi* consulatu dicuntur signatæ *L. 2. in quibus causis. L. 16. de inoff. test. L. 12. ad S. C. Velleianum*, & alia rescripta. Item *Tusco & Basso Coß.* signantur acta passionis S. Cypriani. Baronius ac Panuinus ex Vopisco ac Trebellio Pollione pro *Tusco* putant *Fuscum* reponendum. Imò ex subscriptionibus legum duo illi scriptores corrigendi sunt. Et quidem in fastis Græcis ac Latinis *Tuscus* consul laudatur. Extat antiquum epigramma in Ottacinis recitatum.



ab Alfordo A. 261. dicatum: TVSCO ET BASSO COSS. Ceterum Æmiliani & Bassi II. consulatus insigni charactere designatur in antiquis actis martyrij S. Fructuosi, quorum est initium apud Bollandum ad diem 21. Ianuarij: *Valeriano & Gallieno Imperatoribus, Aemiliano & Basso Coss, XVII. Kal. Februarias die Dominico*. Est character anni V. C. 1012. quo dies 16. Ianuarij incidit in diem Dominicum Cyclo Solis XVI. Lunæ XIII. lit. B. Et dicuntur socij cum eodem Fructuoso ad supplicium *producti XII. Kal. Februarij feria sexta*. Itaque errat Petavius ponens Aemiliani ac Bassi consulatum A. V. 1013. Christi 260. anno enim superiori consulatum gessere.

Alterum par Consulum, quod improbant Baronius ac Petavius est Secularis II. cum Iunio Donato. Extant tamen plurima Gallieni rescripta ijsdem Consulibus signata, *L. 4. de obligationibus L. 5. de testamentaria tutela. L. 3. de prædijs. L. 6. quæ potiores L. 1. ubi de hereditate*, & aliæ plurimæ, quæ dicuntur *Dat. Seculare II. & Donato Coss.* Omnes laudati fasti superius laudati, eosdem Consules tradunt. In veteri fragmento apud Bucherium legitur: *Seculare & Donato B. Sol.* nempe illum annum fuisse Bissextilem ac Kalendas Ianuarias incidisse in diem Solis. Rectè ergo meus Panvinus anno Urbis 1013. eosdem Consules statuit; fuit enim ille annus Bissextilis ac prima Ianuarij incidit in diem Solis seu Dominicum, Cyclo Solis XVII. Lunæ XIV. litt. A. G. Fuit annus Epochæ Dionysianæ 260. Ex his duo laterculi Consulum meo Panuino digesti, adeo solidè & euidenter demonstrantur, ut planè sperem fore ut imposteriorum cunctis adprobentur, procul abire iussis aliorum scriptorum opinionibus, quamuis easdem viri insignes inuexerint.

Iam ad arcem veluti causæ ventum est, ad consulatum Gallieni IV. & Valeriani Cæsaris. Profectò hic in nullis fastis legitur, & Pollio in Gallieno cap. 1. scribit: *Gallieno igitur & Volusiano Coss. &c.* Video quidem in laudatis à Baronio actis designatos fuisse à Valeriano Imperatore Consules ordinarios Gallienum & Valerianum, suffectos verò à die 22. Maij Crinitum & Aurelianum. Verùm neutiquam illi consulatum iniere. Etenim si Aurelianus anno Domini ex Baronio 262. vel 259. uti vult Petavius consulatum suffectum gessisset, anno primo imperij iniens Kal. Ianuarijs consulatum ordinarium, dictus fuisset Consul II. iursus cum Capitolino procedens consul A. 271. Consul III. fuisset. Denique annum postremum imperij quartum Consul clausisset. At in omnibus fastis tertium tantum Aureliani consulatum legimus. In veteri saxo apud Baronium, Panvinum, ac Gruterum dicitur Aurelianus

TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. & postea:  
DEDIC. KAL. FEBR.

AVRELIANO. AVG. III. ET MARCELLINO. COS.

Illi enim qui suffectum consulatum gesserant, si postea consulatum ordinarium inissent, Consules II. dicebantur. Scio Baronium ad initium A. 205. scribere: *Hoc anno primum à Seuero factum est, ut consulatus suffecti cum ordinarijs numerarentur; sicque ea ratione Plautianus qui suffectum egerat consulatum, hoc anno creatus consul ordinarius, secundum consul positus est.* Hæc ex Dione probare contendit. Verùm longè ante Seuerum id moris fuisse certum est. Vespasianus ex Suetonio cap. 4. egerat consulatum suffectum, cum verò ordinarium capeßuit, consul



foliis in fastis, & inscriptionibus nummorum ac lapidum dictus fuit. Domitianus Consul XVII. ubique inscribitur; quamvis sexies consulatum suffectum gesserit. Quid quod? Ipse Seuerus Imperator Cos. II. dictus est anno primo imperij, dum Kal. Ianuarijs consul processit; idem autem gesserat consulatum suffectum cum Apuleio Rufino ex Spartiano cap. 4. Scribit Dio Plautianum antequam consulatum ordinarium iniret; ornamenta consularia honoris gratia à Seuerio accepisse, at hoc non est consulatum suffectum gessisse. Tacitus lib. 1. hist. cum recitasset Consules ab Othone suffectos in varias Kalendas A. V. 822. scribit Romæ auditam victoriam tertiæ legionis de Sarmatis reportatam. Postquam, inquit, id Romæ compertum M. Aponias Mæsiæ obtinens triumphali statua, Fulvius Aurelius, & Iulianus Titius, ac Mumius Lupus Legati legionum consularibus ornamentis donantur. Dicebantur hi Consules non ordinarij, nec suffecti, sed honorarij, nempe non penes potestatem, sed insignia tantum atque ornamenta Consulum. Legantur Panvinus lib. 1. comment. in fastos; & Latzius lib. 9. de Rep. Rom. cap. 4. Itaque cum Aurelianus ad imperium elatus, rē consulatum ordinarium gesserit, & à Baronio ac Petauio anno ultimo consuli III. dicatur, quod laudata inscriptio demonstrat, fit consequens ut Valeriano imperante, consulatum suffectum non gesserit. Quod inde deriuasse existimo; quia eodem anno victo ac capto in Perside Valeriano Augusto, Gallienus solus imperium consecutus, alia collegia Consulum pro arbitrio designauit; ita consulatus antequam illum iniret, Aureliano abrogatus. Panvinus, eiusque exscriptores Caluissius ac Goltzius, cum putent Aurelianium consulem suffectum processisse, Kalendis Ianuarijs anni primi imperij Aureliani consules ponunt Aurelianium hominem nescio quem priuatum & Bassum. Sed in Chronico canone Eusebij apud Scaligerum disertè legitur: *Aurelianus Augustus & Bassus*. Et quidem noui Imperatores primis statim Kalendis Ianuarijs consulatum ordinarium inibant, quod item Aureliani fecisse non dubito. Neque obstat Memmii Fuscum gessisse magistratum anno quinto Valeriani, ac proinde non potuisse dici à Vopisco consulem ordinarium anno quo captus est Valerianus; is enim septimo imperij victus, ac castris exutus, in Persarum potestatem venit. Etenim Memmius Fuscus consul ordinarius appellatur, non quasi eodem anno eo magistratu fungeretur, sed quod ante biennium illum gesserat. Ex his constat Gallienum IV. ac Volusianum anno Urbis 1014. consules rectè assignatos, non verò Gallienum ac Valerianum; neque enim Baronio assentiri possum, dum ait Valerianum Cæsarem potuisse Volusianam etiam cognominari. Nam Valerianus erat cognomen Liciniae familiae, ut ex nummis Valeriani senioris, ac Gallieni patet; & Valerianus iunior in Numismatibus dicitur: P. LIC. VALERIANVS CAES. At Volusianus fuit ex familia Petronia, & bis imperante Gallieno Praefectus Vrbi fuit, ut ex inditulo Praefectorum Urbis à Cuspiniano publicato intelligitur.

Petauius admissio cum Baronio consulatu Gallieni IV. & Valeriani iunioris; statuit etiam A. V. 1014. Christi 261. Gallienum V. & Volusianum; quos omnes fasti laudant. Itaque octo consulatus Gallieno idem assignat, cum tamen certissimum sit, memoratum Imperatorem septies tantum consulem inscribi. Extat Lex 3. de ordine iudiciorum, quæ dicitur PP. Gallieno Aug. V. & Faustino Cos. Rursus in eodem Cod. iust. laudatur lex 7. de probationibus PP. Gallieno VII. &

*Sabinillo Coss.* At Petavius scribit Gallienum VI. & Faustinum; & rursus Gallienum VIII. & Sabinillum. Extant nummi apud Goltzium inscripti: IMP. C. P. LIC. GALLIENVS P. F. AVG. P. M. TR. P. XIV. COS. VII. P. P. & alter: TR. P. XV. COS. VII. Cum verò Gallienus p̄cisus fuerit anno Tribunitiæ potestatis XV. apertè colligitur, perperam à Petauio Gallienum Coss. VIII. affirmari. Hæsit in eadem salebra Ricciolius, qui cum Petauio consulatum Secularis & Donati expunxit, Gallienum IV. ac Valerianum consules intrusit, Aemiliani ac Bassi consulatum altero anno retulit, ac denique Gallienum VIII. Consulem produxit. Tot in errores lapsi sunt ob illud collegium Consulum aduersus omnium veterum tabularum fidem inuectum. Et quidem Ricciolius qui suo volumini *Chronologia Reformatæ* titulum dedit, vt tam grande nomen impleret, debuit trium laudatorum Scriptorum fastos in examen adducere; præsertim cum lib. 1. tomi prioris cap. 4. num. 1. testetur se laborasse in fastis consularibus rectius quàm hactenus factum sciamus, concinnandis. Verùm eiusdem tabulæ tot mendis scatent, vt in vna tantùm pagina vltra sexaginta errata deprehenderim. Sanè alienis oculis ac manu in eisdem exscribendis vsus videtur, ne tam supinæ negligentia vir aliàs eruditus, reus traducatur. Ex his tamen euidenter monstratum est, nostri Panuini fastos, qui Gallieni Imperatoris annos designat, accuratè deductos esse, vt idem iure ac merito cum Lipsio honoris gratia *Pater fastorum* nuncupandus videatur.

At enim non modò in collegijs Consulum, verùm etiam in initijs imperij Valeriani ac Gallieni statuendis tres illi Scriptores dissentiunt. Baronius exordium horum Principum ponit Gallo II. ac Volusiano Coss. V. C. 1005. ita enim scribit ad A. 257. Panuinus anno V. 1006. Vibio Volusiano II. & Valerio Maximo Coss. Denique Petavius in sequentem annum 1007. Christi Domini 254. eosdem Augustos ad imperium euectos arbitratur lib. 13. in Chronico. Baronij opinio antiquis inscriptionibus aduersatur. Extant nummi cum epigraphe: IMP. C. P. LIC. VALERIANVS P. F. AVG. P. M. TR. P. II. COS. III. P. P. item IMP. C. P. LIC. GALLIENVS P. F. AVG. TR. P. II. COS. II. Iuxta Baronium anno 258. fuere consules Valerianus Aug. III. & Gallienus Aug. II. Itaque si cum tertio Valeriani, ac secundo Gallieni consulatu iungitur Tribunitia potestas II. vtriusque, palam euincitur illos eandem cum imperio non inisse anno 255. nam annus secundus exisset A. 257. Valeriano II. & Gallieno Coss. Præterea extat duplex epigramma apud Gruterum pag. 275. in quo Gallienus dicitur: TRIB. POTEST. IV. COS. III. Gessit tertium consulatum, ex fastis Baronij A. 260. quo anno terminasset Trib. Pot. V. si primam A. 255. auspiciatus fuisset. Eadem sententia apertè etiam ex superius stabilitis reuellitur: etenim probatum est Baronium duo collegia Consulum ab annis imperij Valeriani & Gallieni exclusisse, quæ tamen cum certis argumentis restituenda esse monstraui, ne sedecim anni augustæ dominationis Gallieno assignentur, eiusdem initia ad A. V. 1006. cum Panuino figenda sunt. Respondet Petavius lib. 11. de doct. temp. cap. 26. cum nouo anno Iuliano, nouam Tribunitiam potestatem inchoatam. Hæc opinio, quam in dissert. de Nummo Licinij cap. 6. insinuaui, prorsus falsa est. Etenim Tribunitia potestas initio statim delati imperij suscipiebatur, nec Kalendis Ianuarijs anni Iuliani iterabatur, sed die ipsa natali imperij. Hinc eodem anno Iuliano, diuersi Tribunitiæ potestatis

statim anni concurrebant. Hoc ex nummis constat, præcipuè Domitiani, qui plures consulatus ordinarios iunxit. In illis inscribitur: TR. P. IV. COS. XI. & reversus: TR. P. V. COS. XI. Plura Numismata Commodi ex Cime-  
lijs Mediceis laudavi cap. 3. in quibus anno postremo imperij dicitur TR. P. XVII. COS. VII. & TR. P. XVIII. COS. VII. Eo autem anno septimum consulatum cum vita explevit. Id evincunt etiam innumeræ lapidum inscriptiones. Vnam ex Grutero pag. 573. laudabo, in qua legitur:

IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. PONT. MAX.  
TR. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. &c.

Vespasianus Kal. Iulij A. V. 822. Tribunitiam potestatem cum imperio accepit ex Tacito lib. 2. Hist. gessit tertium consulatum A. V. 824. si Kalendis Ianuarijs A. 823. Tribunitiam potestatem iterasset, anno sequenti, quo tertium consul processit, inscriptus fuisset TR. POT. III. Idem ex nummis Vespasiani apud Goltzium ostenditur.

Præterea evidenter demonstro Baronium ac Petauium minus rectè annos imperij Gallieni digessisse. Nam huic Augusto omnes scriptores, ac nummi eiusdè quindecim annos imperij tribuunt. Certum autem est eundem interfectum apud Mediolanū Paterno II. & Mariniano Coss. circa XIII. Kal. Aprilis; nam IX. Kal. Apr. eiusdem mors, ac Claudij electio Romæ nuntiata est ex Trebellio Pollione in Claudio cap. 4. At iuxta calculos Baronij Gallienus init imperium A. 255. moritur A. 269. Petavius in Chronico scribit Gallienum appellatum fuisse Imperatorem A. 254. occisum verò A. 268. Igitur ex utriusque scriptoris supputatione Gallienus annos tantum quatuordecim in imperio vixit. At Gallienam annos quindecim imperasse probatur ineluctabili testimonio Porphyrij qui id temporis vixit. Scribit in vita Plotini: *Decimo autem Gallieni Imperatoris anno ego Porphyrius è Græcia unâ cum Antonio Rhodio Romam veniens, Amelium reperi, octo & decem iam annos Plotino familiariter usum. Postea ait: Hi ergo libri unus atque viginti, quando cum primò conueni, scripti iam erant, quando Plotinus nonum & quinquagesimum ætatis annum agebat, ego autem & hunc ipsum annum, & quinque insuper deinceps cum Plotino versatus sum. Itaque usque ad exitum ferè decimi quinti anni Gallieni Porphyrius cum Plotino vixit; siquidem ait: & hunc ipsum annum, nempe ut antea dixerat, decimum Gallieni inchoatum: & quinque insuper eidem Plotino Romæ conuixit. Denique addit: Quo verò tempore in Sicilia vitam agebam, quò perueneram circa quintum decimumque Gallieni imperatoris annum, Plotinus libros quinque composuit, & ad me in Siciliam misit. Igitur ex Porphyrio Gallienus imperavit annos ferè solidos quindecim, quorum ultimo desinente, ille Roma profectus, in Siciliam secessit. Panvinus Gallieni imperium inchoatum scribit A. V. 1006. finem verò eiusdem recitat A. V. 1021. ac proinde ex illius calculis quindecim anni solidi Gallieniani imperij habentur; unde eiusdem sententia siue in fastis disponendis, siue in annis memorati Augusti deducendis, exactissima est, & omnium veterum monumentorum testimonijs stabilitur; Baronij verò ac Petavij opiniones procul à verò abeunt, ut hucusquè inuictis planè argumentis ostendi.*

Ex his colligitur annus decennialium Gallieni; hæc enim acta sunt A. V. 1016. Epochæ vulgaris 263. Nummio Albino & Maximo Dextro Coss. Id non modo

ddò constat ex hucusque seruatō tempore decennalium, verum etiam ex Pollio-  
ne, qui exarratis solemnibus, ac ludis decennialibus Gallieno peractis, statim ait:  
*Gallieno & Saturnino Coss.* Incidit horum consulatus in A. V. 1017. quare anno  
superiori decennia Gallieni celebrata sunt.

## CAPUT VI.

*Anni imperij Claudij Gothici & Aureliani statuuntur. Baronius ac Panvinus imperiam  
Probi ac Vulgares fastos decurtant. Ex rescriptis Probi, & vetusto epigrammate  
refelluntur. Petavius totum par Consulatum fasti addendum contendit. Panuini in  
deducendis annis Bissextilibus hallucinatio. Eiusdem error cum prochronismo vete-  
rum Sacerdotum perperam à Caluissio confunditur. Ex eclipsibus error Panuini corri-  
gitur. Decennalia ac Vicennalia Diocletiani & Maximiani suis annis assignata.*

**S** Edecim annorum spatium qui à Gallieni exitu vsque ad imperium Diocletia-  
ni excurrunt, nullus Romanorum Principum, qui id temporis imperarunt,  
vota decennalia soluit; quare illis omisissis ad decennia ac vicennia Diocletiani  
transeundum esset. Verum cum videam annos imperij eorundem passim con-  
fundi, ac consulares tabulas circa eadem tempora à nobilissimis Scriptoribus  
deprauari, rem Chronologiæ studiosis gratam me facturum spero, si quæ eam  
in rem obseruavi, hic inseram. Etenim quamuis plerique hanc Spartam ag-  
gressi sunt, cum rem minus euidenter demonstrarint, nullam penè opinionem  
profligarunt, imò ne loco quidem mouisse visi sunt. Sanè Baronius à Decio  
Imperatore vsque ad Diocletianum, nempe ab A. 249. vsque ad 284. omnium  
Imperatorum initia præuertit. Id Caluissius, Gordonius, Petavius, alijque  
obseruarunt. Verum quod ne illi quidem satis solide Baronianam chronolo-  
giam emendarunt, sibi de criptas epochas neutiquam alijs persuasere. Hinc  
Michael Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Britannicæ A. 253. ait: *Scio multos  
Philipporum mortem ante biennium recensere: Baronianam chronologiam causantes, quod  
Imperatorum annos male digesserit. Sed nouorum ingeniorum vitium est, nouis rebus  
delectari, & antiqua nauseare.* Ita in omnibus Baronio adhæret. Petavius  
omnium diligentissimus, cui in rebus Chronologicis nemo par aut secundus  
hoc sæculo opponatur, rectè fastos Baronij ac Panuini lib. 11. de doctr. temp.  
emendat. Sed alium insuper in iisdem errorem notat, qui planè nullus fuit, &  
minùs rectè annos Romanorum Principum statuit. Horum opiniones certior-  
ibus, quàm ab ullo hucusque præstitum sit, argumentis reiiciam. Cum verò  
apud eosdem certum sit A. V. 1021. Gallieno occiso, Claudium Gothicum  
ad imperium euectum, Paterno II. & Mariniano Coss. ut ea quæ dicturus sum,  
facillimè intelligantur, seriem consulum subiiciam à proximè laudato A. V. vs-  
que ad A. 1036.

A. Christi D.

Vrbis Cond.

269.

Claudius Aug. II.

1022.

Quinius Paternus.

270.

Flavius Antiochianus

1023.

Furius Orphitus.

271.

271.	Aurelianus Aug.	1024.
	Pomponius Bassus.	
272.	Quietus	1025.
	Voldumianus.	
273.	M. Claudius Tacitus	1026.
	Furius Placidianus.	
274.	Aurelianus Aug. II.	1027.
	Iulius Capitolinus.	
275.	Aurelius Aug. III.	1028.
	Auonius Marcellinus.	
276.	M. Claudius Tacitus Aug. II.	1029.
	Fulvius Æmilianus.	
277.	Probus Aug.	1030.
	Paulinus.	
278.	Probus Aug. II.	1031.
	Virius Lupus.	
279.	Probus Aug. III.	1032.
	Quinius Paternus.	
280.	Messala	1033.
	Gratus	
281.	Probus Aug. IV.	1034.
	Iunius Tiberianus.	
282.	Probus Aug. V.	1035.
	Pomponius Victorinus.	
283.	Carus Aug. II.	1036.
	Carinus Cæsar.	

Inter annum necis Gallieni, & annum quo Diocletiani imperium exordium sumpsit, paria consulum quindecim mediant in fastis antiquis libri de PP. Vrbis, fragmenti apud Bucherium p. 249. Idatij, ac Prosperi.

Claudium Imperatorem A.V. 1021. IX. Kal. Apr. Imperatorem à Senatu dictum testatur Pollio cap. 4. Anno insequenti cum Paterno ordinarium consulum gessit. Lib. 3. Cod. Iust. L. 6. de seruit. & aqua laudatur rescriptum Imperatoris Claudij ad Priscum, & dicitur PP. VII. Kal. Maij Claudio Aug. & Paterno Coss. Anno V. 1023. Christi 270. notantur consules Antiochianus & Orphitus. Panuinus scribit hoc anno pridie Non. Febr. Aquileiæ Claudium factis concessisse, cum imperasset A. 1. M. 11. Eundem intra biennium decessisse scribunt Eusebius, Victor, Cassiodorus, Eutropius, quibus consentit Petavius lib. 11. de doct. temp. cap. 26. Panuinum omnino sequuntur Calvisius ac Goltzius. At optimè Baronius probat Claudium ultra biennium imperasse. Etenim Porphyrius illius temporis scriptor in libello de vita Plotini ait: *Agebat vero tunc Plotinus annos sex atque sexaginta, secundo Claudij imperatoris anno iam peracto.* Rursus ex responso eidem facta consulenti dato apud Pollionem c. 10.

*Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.*

Itaque tertiam ætatem in imperio exegit. Hæc Baronius. Profero insigne testimonium nulli hæcenus observatum. In Cod. Iust. legitur L. 2. de diuers. rescrip.

*rescrip.* in cuius titulo notatur : *Imp. Claudius Aug. Prisco, & signatur : Dat. VII. Kal. Nouembris Antiochiano & Orphito Coss.* Quare Claudius regnavit An. 2. M. VII. Hinc Gruteri pag. 276. in vetusto saxo inscribitur : TRIB. POT. III. COS. II.

Aurelium Claudius excepit ; Quintillus enim Claudij frater vicesimum tantum diem imperavit . Huic annos sex imperij veteres omnes assignant , seu cum Eutropio lib. 9. A. 5. M. 5. Baronius finem Aureliani protrahit ad consulatum Probi II. & Paterni , ita ut septem annos imperarit ; aitque occisum V. Kal. Aprilis A. 278. cum imperium inisset A. 271. Ex nummo , in quo Aurelianus inscribitur TR. P. VII. in eam sententiam descendit . Petavius in Chronico scribit ultra quinque annos imperasse . Panvinus undecim menses supra quartum annum eidem tribuit . Horum scriptorum chronologiam falsam ostendo . Extant apud Panvinum ; Baronium , ac Gruterum antiquæ inscriptiones ; prior dicata est à Furio Orphito Præfecto Vrbi , in qua Aurelianus dicitur TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. altera verò exprimit Aurelium TRIB. POT. V. P. P. COS. III. Ex fastis illa posita est A. 274. quo Furio Orphitus Urbis præfectura perfunctus est , hæc verò A. 275. quo idem Augustus consul tertium fuit . Scribit Idatius : *Aureliano III. & Marcellino . His Coss. occisus est Aurelianus Imp. Cenofrurio, & levatus est Tacitus Roma.* Nuncium mortis Aureliani tertio Non. Februarias Romam allatum scribit Vopiscus in libro de vita eiusdem cap. 41. Cum verò propè Heracleam Thraciæ interemptus fuerit , mense Ianuario interiit . Vixit itaque in imperio A. 4. M. circiter tres , nam ex laudatis inscriptionibus iniit tertium consulatum anno imperij quinto inchoato . Inde octo mensium interregnum fuit , exercitibus novi Principis designationem arbitrio S. P. Q. R. deferentibus , ac vicissim Senatu eam potestatem militi faciente . Denique à Senatu subrogatus fuit Tacitus VII. Kal. Octobris ex Vopisco cap. 4. de vita Taciti , ubi S. C. laudat. A. V. 1029. Christi 276. Tacitus Aug. II. & Æmilianus ordinarij consules processere . In fragmento consulari sæpiùs laudato dicitur : *Tacito II. & Æmiliano B. Sat. nempe illum annum fuisse Bissextilem , ac Kalendas Ianuarias incidisse in diem Saturni . Est planè annus memoratus 276. Cyclo Solis V. Lunæ XI. lit. B A. Tacitum mense imperij sexto occisum scribunt ex Vopisco ceteri Chronologi ; ducentissimo die periisse author est Victor . Itaque obiit die 17. Aprilis A. 276.*

Sequitur imperium Probi , in quo Panvinus ac Baronius extra rectæ chronologiæ orbitas excurrunt ; & in tanta fastorum perturbatione Petavius quoque minùs rectè calculos ponit . Cum Panvinus vno anno Æram vulgarem Christi anticipasset , eandem inchoans ab anno Iuliano 44. Urbis 752. Augusto XIII. & Plantio Sylvano Coss. ut initium imperij Diocletiani A. 284. Christianæ Epochæ statueret , consulatum Probi , ac Paulini inter suffectos rejecit , ac annos quinque imperij Probo assignavit . Baronius cum biennio eandem vulgarem Epocham antevertisset V. C. 751. Cornelio Lentulo & Messalino Coss. duos consulatus ordinarios imperante Gallieno , è fastis expunxit , ut superiori capite ostendi . At ob consulatum Decij III. & Grati II. intrusum , ne annus redundaret , consulatum Probi II. & Lupi ab ordinarijs excludit ad A. 279. Verùm quòd annos septem Aureliano attribuerat , imperij Probi tempus decurtavit . Hinc in Annalibus post A. 276. quem consulatu Aureliani

III.

III, & Marcellini notat, omittit cum Cassiodoro, consulatum Taciti II. & Aemiliani, qui tamen in omnibus fastis ibidem recitatur, duos verò consulatus Probi & Paulini item Probi II. & Paterni II. scribit gestos fuisse à Probo, Aureliano adhuc rerum potiente, quo occiso, Taciti inaugurationem recitat, eiusque ordinarium consulatum post Probum II. & Paternum in fastos infarcit, eoque notat, annum 279. quo Probi initia figit, eiquè annos imperij solidos quatuor assignat; eius verò necem recitat A. 283. Caro & Carino Coss.

Certum est Probum annos solidos sex imperasse; nam disertè Iulianus Augustus, in libello de Caesaribus scribit Probum septimum annum attigisse. Extat insigne epigramma apud Adamum Rupertum in obseruat. ad Synopsim Besoldianam pag. 388.

IMP. CAESARI. M.  
AVRELIO. PROBO.  
PIO. FEL. INVICTO.  
AVG. P. M. TRIB. POTE  
STATIS. VI. COS. IIII. RES.  
PVBLICA. TVCCITANORVM.  
DEVOTA. NVMINI. MAIES.  
TATIQVE. EIVS &c.

Iuxta Baronij ac Panuini chronologiam, & quidem veram, anno Christianæ Epochæ 281. Probus IV. consul cum Tiberiano fuit, quo anno in Baronij opinione iniuit Tribunitiam potestatem III. iuxta Panuini calculos V. Vtriusque scriptoris anachronismi ex laudata inscriptione corriguntur. In Eusebiano Chronico legitur: *Secundo anno Probi iuxta Antiochenos 325. iuxta Tyrios 402. &c. insana Maricheorum hæresis in commune humani generis malum exorta. .* Æra Antiochena an. 48. Tyria 125. Dionysianâ Epochâ anticipant, qui si à datis numeris apud Eusebium detrahantur, erimus ad annum 277. Rectè S. Leo sermone 2. de Pentec. ait eandem hæresim emeruisse *Probo Imp. Paulinoque Coss.* Hæc acurè Scaliger notauit lib. 5. de emend. temp. p. 463. quæ tamen neutiquam rem Baronio persuaferunt; conatur enim ad A. 277. eadem quibusdam interpretationibus infringere. Itaq; luculentiora testimonia appello, quibus integra fides adhibenda est. In Cod. Iust. Lib. 8. t. 5. 6. *de reuoc. donat. L. 2.* legitur rescriptum Probi Imperatoris ad Felicem, & subscribitur: *PP. III. Non. Maij Sirmij Probo Aug. & Paulino Coss.* Rursus lib. 2. tit. 17. *Vt nemini L. 1.* laudatur rescriptum eiusdem Probi ad Octauium, & signatur: *Dat. IV. Kal. Iulias Probo Aug. II. & Lupo Coss.* Ex duobus hisce rescriptis Baronij ac Panuini sententiæ euidenter refelluntur. Etenim ex eisdem constat Probum ac Paulinum fuisse consules ordinarios, quod Panuinus negauit. Rursus probatur Probum ac Lupum non fuisse consules suffectos, quod Baronius putabat. Præterea ostenditur Probum imperasse A. 277. quo cum Paulino consulatum primum gessit, quod Baronius inficiabatur, scribens id temporis Aurelianum rei Romanæ præfuisse. Cum verò ante Probum Tacitus imperarit, ac nouo anno Iuliano consulatum cum Aemiliano inierit, patet eiusdem consulatum rectè in fastis immediatè locari ante consulatum Probi Aug. & Paulini A. 276. ac proinde minùs rectè Baronium eo Taciti Aug. consulatu notasse A. 279. Hæc primi omnium, absit dictis ambitio, obseruauimus, quæ eximiè fastos illustrent, & annos Probi, Taciti,

O

atque



atque Aureliani certissimis characteribus designant, ac tam euidenter disponunt, ut planè sperem, fore ut deinceps omnis de iisdem dubitatio tollatur.

Petauius lib. 11. de doct. temp. cap. 26. putat vnum par Consulium in fastis desiderari; unde ait: *Probum & Paulinum Onufrius: Baroniis Probum & Lupum pratercunt. At quodnam par alterum Cofs. in illorum fastis desideretur, id verò difficile est coniungere. Nec in horum tantum duorum tabulis, sed in ceteris vnum aliquod par Consulium deesse videtur. Postea: Sed nihilominus par vnum Consulium in fastis vulgaribus inferendum arbitror, siue Imperatore Probo, siue alio quopiam, &c.* Verùm inani suspitione Petauium duci certum est. Etenim si tantum Probus Aug. & Paulinus Onuphrianis fastis addantur, nullum par alterum Cofs. neque in Panuini nec in vulgaribus fastis desideratur. Philippus Augustus ludos seculares celebrauit anno Urbis millesimo exacto, ac primo supra millesimum ineunte. Hic autem annus V. M. ipsis Parilibus completus notatur Philippo Aug. III. & Philippo Aug. II. ut constat ex nummis, in quibus legitur: IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. & in postica SAECVLARES AVGG. COS. III. Capitolinus in Gordiano iuniori cap. 33. scribit Philippum *millesimum ab Vrbe condita annum in consulatu suo & filij sui celebraffe.* At victor Schotti in libro de Caesaribus cum dixisset A. V. millesimum celebratum à Philippo Augusto, ait: *Nostri quoque aetate post mille centesimus, consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, solemnibus frequentatus.* Annus Urbis M. C. euolutus Philippi ac Salliae consulatu notandus est, ut supra mille centesimus excessisse dicatur. Apud Panuinum duo illi consules iniere magistratum A. V. millesimo ac centesimo non quidem completo, sed Parilibus inchoato. Igitur vnum tantum par Consulium, nempe Probi Aug. & Paulini deficit in fastis Onuphrij. In fragmento Bucheri legitur: *Philippo III. & Philippo II. B. Sar.* Nempe illum annum fuisse Bissextilem, ac Kalendas Ianuarias incidisse in diem Saturni. Est character A. V. M. ipsis Parilibus completi, & M. inchoati, Christi Domini iuxta vulgarem Epocham 248. Cyclo Solis V. Lunæ II. lit. BA. Porro ibidem ab vtriusque Philippi consulatu centesimum primum par Consulium, inclusis terminis, notatur: *Philippo & Sallia B. Ven.* Est annus Urbis MC. ipsis Parilibus exactus, Christianæ Aetæ 348. qui fuit Bissextilis, & Kalendæ Ianuariæ die Veneris contingere, Cyclo Solis XXI. Lunæ VII. lit. CB. Apud Panuinum centum tantum collegia Consulium ab vtrisque Philippis Cofs. ad Philippum & Salliam Cofs. inclusiue numerantur. Addatur consulatus Probi & Paulini, integer numerus constabit. Præterea Sextus Rufus in Breuiario ad Valentinianum Augustum ab V. C. usque ad primum eiusdem Principis annum *numerantur, inquit, anni mille centum decem & septem.* Et rectè; nam Valentinianus iniit imperium Iouiano & Varroniano Cofs. V. Kal. Martij ex Idatio. At scribit Ammianus de eiusdem inauguratione libro 26. *Nec videri die secundo, nec prodire in medium voluit, Bissextum vitans Februarij mensis tunc illucescens.* Est annus Epochæ vulgaris 364. qui fuit Bissextilis Cyclo Solis IX. Lunæ IV. litt. DC. Itaque annus 364. Aetæ Christianæ concurret cum A. V. 1117. Apud Panuinum A. V. 1116. primus Valentiniani annus statuitur. Ex his patet in Panuini fastis vnum tantum par Cofs. desiderari, nempe Probum Aug. & Paulinum, quos fuisse ordinarios Consules ex rescripto Probi manifestè monstrabam. Miror autem Panuinum scribere consulatum Probi ac Paulini omitti in libro de Præfectis V. edi-

ro à Cuspiniano, nam hic Scriptor ex eodem libello memoratos Consules laudat, ac iisdem Coss. Quinium Pacatianum Præf. Urbis ponit, qui item legitur in eodem Anonymo iterum edito à Buchero pag. 236. Idem Panvinus lib. 3. com. in fastos A. V. 1116. cum ex Ammiano notasset annum primum Valentiniani senioris fuisse Bissextilem, annum etiam Urbis 1116. eundem esse. certo sibi argumento probatum dicit. Nam Cæsar in suo consulatu IV. annos ob incuriam deprauatos, & plurimis diebus abundantes correxit, & ad cursum Solis emendauit, atque annorum Iulianorum Epocham instituit. At si post eum annum, inquit, singulo quadriennio annum Bissextilem numerabis, inuenies annum ab eo consulatu 408. Bissextilem omnino esse debere; cum autem annus primus Valentiniani sit CCCCVIII. à quarto Iulij Cæsaris consulatu, reliquum est, ut omnis hæc annorum summa inter consulatum quartum Cæsaris & Valentiniani initia optimè perfectèque digesta sit. Hæc vir doctissimus. Verùm in eo lapsus est, quòd Bissextiles ex anno primo Iuliano deduxit, cum ex emendatione Bissextilium ab Augusto facta, eosdem digerere debuisset. Etenim anno Iuliano secundo occiso Cæsare, Sacerdotes in Bissextilibus decernendis statim errarunt, ita ut teste Solino cap. 2. *Per annos sex & triginta cum nouem dies tantum sufficere debuisset, duodecim sint intercalati; quod deprehensum Augustus reformauit, iussitque annos duodecim sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra nouenarios temerè fuerant intercalati, hoc modo possent repensari. Ex qua disciplina omnium postea temporum fundata ratio est.* Eadem tradit Macrobius lib. 1. Sat. cap. 16. Annus primus Iulianus coincidit cum anno Urbis 709. Annus tricesimus sextus cum 744. Quo annorum spatio duodecies intercalatum fuit. Duodecim annis sequentibus ex decreto Augusti non fuit intercalatum, & sine Bissextilibus fuere; quare annus Iulianus 48. Urbis 756. sine Bissextili fuit; qua ratione ex tribus quadriennijs sine intercalari, tres illi dies compensati sunt. Ut verò postea intercalaretur, quatuor anni solidi debuere excurrere, ut ex quatuor quadrantibus integer dies colligeretur, ad Bissextilem restaurandum. Quare exacto anno Iuliano 52. anno insequenti 53. Urbis 761. post Parilia, VI. Kal. Martias Bissextum ab Augusto restauratum est. Hic annus fuit Aera Christianæ VIII. Cyclo Solis XVII. Lunæ IX. litt. AG. Addito autem consulatu ordinario Probi & Paulini, quem Panvinus inter suffectos perperam reiecerat, annus Dionysianus 364. Urbis 1117. euadit Bissextilis per quadriennia post reparatum ab Augusto Bissextilem, nouem supra octoginta.

Caluissius in Chronica ad A. 364. scribit Panvinum ex supputatione illorum Bissextilium ab anno primo Iuliano ad annum primum Valentiniani gloriarì de certitudine suorum annalium. Sed pueriliter errare, & antiquum Pontificum errorem renouare. Verùm ipsum potius Caluissium errare mihi compertum est. Nam testatur Solinus spatio sex ac triginta annorum Pontifices duodecim Bissextilem decreuisse, cum tantum nouies esset intercalandum. Et Macrobius laudatus ait: *Cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare; illi, nempe Pontifices, quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari nouem.* Itaque ex errore Pontificum à primo usque ad tricesimum sextum annum Iulianum duodecim Bissextiles acti sunt. At iuxta Panvinum nouem tantum Bissextiles spatio illo-

rum 36. annorum fuere, nempe anno 4. 8. 12. &c. illa enim iteravit per solida quadriennia, quæ centum ac duo numerantur ab anno primo Iuliano ad 410. qui coincidit cum primo Valentiniani Imperatoris, si semel cum Panuino consulatus Probi & Paulini ab ordinarijs expungatur. Et quidem Bissextilis ex decreto Cæsaris in forma anni Iuliani agendos fuisse anno 4. 8. 12. &c. vti dixit Panuinus, sentiunt viri doctissimi quos laudant, & sequuntur Petavius lib. 4. de doct. temp. cap. 3. & Ricciolius lib. 1. tomi prioris Chron. Refor. cap. 22. Etiam si Panuinus correctionem Augusti adnotasset, errorem quem in fastis ob illud par Consulatum expunctum admisit, corrigere non potuisset, imò suam inde supputationem confirmasset. Nam post annum Iulianum 36. ex Solino ac Macrobio iussit Augustus annos 12. sine intercalatione decurrere, ut tres dies ex errore Pontificum admissi, repensarentur. Itaque ultimus Bissextilis anni Iuliani 48. qui annos duodecim sine intercalari terminabat, omissus fuit. Potuit autem Augustus Bissextilem reparare anno Iuliano 52. V.C. 760. nam à VI. Kal. Martias A. 48. quæ erat dies omissi tertij Bissextilis, ad VI. Kal. Martias A. 52. quatuor anni solidi 365. dierum ac sex insuper horarum habentur, quæ quater repetitæ optimè annum Iulianum 52. Bissextilem constituebant; unde ex solidis quadriennijs octoginta & novem vicibus repetitis, erimus ad A. V. 1116. Iulianum 410. & hunc Bissextilem iuxta supputationem Panuini. Ast aliter ab Augusto decretum est.

Ex his patet nostrum scriptorem ex actis ab anno Iuliano primo usque ad primum Valentiniani ex Bissextilibus suorum fastorum calculos minùs rectè probasse, neque à Calvisio eiusdem supputationem ex dispositione Bissextilium à Iulio Cæsare instituta, solidè refutari. A posteriori tantum, ut inquit, fastorum Panuini metachronismus in annis Urbis post omissum consulatum Probi ac Paulini, digerendis, refelli potest. Id autem ex eclipysibus euidenter ostenditur; illæ enim obscuritates Luminarium nitidissimi characteres sunt, quibus certissimus annorum ordo describitur, & ex defectibus planetarum omnis fastorum defectus emendatur. Scribit Dio. lib. 60. A. V. 798. Vinitio Quartino II. & Statilio Corvino Coss. Kalendis Augusti, die natali Claudij Imperatoris, eclipysm Solis contigisse, quam Claudius in publico programme populo proposuit, ne defectus ille die natalitio, in malum omen sibi ab ignava plebe verteretur. Astronomicæ tabulæ exhibent illam eclipysim eodem A. V. 798. Kal. Augusti H. 10. post mediam noctem, Sole in 6. gradu Leonis. Si à primo anno Bissextili Valentiniani, Cyclo Solis IX. lit. DC. per annos 318. regrediaris, eris ad Cyclum Solis 27. lit. B. Claudio Romæ imperante. At eo anno Kalendæ Augusti inciderunt in diem Lunæ, qua nulla ex tabulis Astronomicis eclipys contigit. Itaque Valentiniani initium anno Bissextili 364. non contigit anno Urbis 1116. vti dicebat Panuinus. At si ab anno Valentiniani primo per annos 319. regrediaris, eris ad Cyclum Solis 26. Lunæ VIII. lit. C. quo anno Kalendis Augusti, die Solis, contigit eclipysis Dionis memorata, & in tabulis Astronomicis ostensa. Igitur anno Urbis 798. quo contigit eclipys, adde annos 319. habebis A. V. 1117. atque hic erit primus Valentiniani. Ex his patet Panuinum vnus anni metacronismum in annis ab Vrbe condita digerendis peccare. Inferatur eiusdem fastis collegium Probi Augusti & Paulini Coss. A. V. 1030. nostræ Epochæ 277. anni omissi

omissi labes reparatur; nec video quodnam aliud par consulum in eiusdem fastis à Petauio desiderari possit, siue, vt ipse ait, *Imperatore Probo; siue alio quopiam, quod nominatim concipere, propter Consulum in illis deprauata vocabula, minime possumus*. Nam ex recitata eclypsi, cuius certa dies à Dione describitur, & ex alijs passim, quas ipse Petauius lib. 8. alijquè vulgò referunt, vnum par tantum Consulum ab anno primo Iuliano ad 409. desideratur; esse verò Probum, ac Paulinum, ex ipsius Probi Imperatoris rescripto probatum est, cui veritati omnes fasti veteres suffragantur. Cum verò ex Ammiano annus Iulianus 409. V. C. 1117. Christi 364. fuerit Bissextilis, per quadriennia solida 89. retrocedentes, habebimus Bissextilem ab Augusto restauratum A. Iuliano 53. Urbis 761. Christi 8. Cyclo Solis IX. litt. AG. non verò anno superiori, quamuis, vti ostensum fuit, potuerit eo ipso intercalari. Cur verò ab hoc in alterum annum Bissextilis ab Augusto dilatus fuerit, non incongruè tradit Riccilius laudatus num. 10. Haftenus pro restaurandis fastis, atque annis imperij Probi.

Baronius cum annos septem imperij Aureliano tribuisset, quo in quartum, annum imperium Probi prorogaret, atque in angustum ab Æra Diocletiani anno Dionysiano 284. ex certissimis notis sibi probè collocanda, redigeretur, coactus est mortem Probi atque initium Cari recitare ad A. 283. Idatius eodem anno apud Sirmium Probum occisum refert, Caro II. & Carino Coss. Cum hic Taciti mortem Probo ac Paulino Coss. recitasset, in anno pariter obitus Probi designando aberrauit. Vopiscus in Caro cap. 5. testatur, interfecto Probo, à militibus Carum Imperatorem renunciatum. Huius inaugurationem contigisse A. 282. ex insigni inscriptione demonstraui in disert. priori de Nummo Diocletiani cap. 1. Extat Lib. 7. Cod. Iust. L. 5. *quando prouocare*, rescriptum Cari Imperatoris *Dat. Idibus Ianuarijs Caro & Carino Coss.* Itaque initio anni 283. Carus imperabat, ac proinde anno superiori imperium iniit. Hucusque in Annalibus initia Romanorum Principum, vel eorundem obitus, vno Claudio dempto, sub alienis planè Consulibus à Decio vsque ad Carum recitantur; cum tamen Panuinus ne semel quidem in his aberrauerit. Et quidem Baronius, cum dixisset à quibusdam [Panuinus in margine notatur] initia imperij Decij statui Æmiliano & Aquilino Coss. eosdem hisce perstringit: *Cum consulatus subducant è fastis, ordine temporum semper confuso, diuersis se aliosque implicant labyrinthis*. Hæc ille ad A. 251. Optimè tamen Panuinus imperantis Decij primordia alligat A. V. 1002, nam L. 2. *de hered. action.* laudatur rescriptum Decij Imperatoris *PP. XIV. Kal. Nouembris Æmiliano & Aquilino Coss.* Hinc ipse insignis scriptor, ordine temporum semel confuso, vt eiusdem verba reddam, tres consulatus è fastis subducit, annos imperij Principum, qui id temporis regnarunt, pro arbitrio auget, minuit, ac vnà simul confundit; etenim Philippis ac Decio vnum, Gallo & Volusiano vnà cum Valeriano ac Gallieno duos imperij annos communes facit: Aureliano biennium donat, quod postea annis Probi demit. Hosce omnes anachronismos ex lapidum ac nummorum inscriptionibus, ipsis Augustorum rescriptis, antiquorum fastorum fragmentis, ac denique Cyclorum præsidio, nempe cœlestibus characteribus emendauit.

Æra Diocletiani initium auspiciatur Anno Nabonassari ab ante diem 13. Iunij

nij 1032. Urbis 1097. Juliano 329. Epochæ Christianæ 284. quo anno Diocletianus XV. Kal. Octobris apud Chalcedonem ab exercitu Imperator salu-  
tatus, purpuram induit, vti fusiùs in disertatione priorî cap. 1. ostensum est.  
Eiusdem ac Maximiani collegæ decennalia laudat Eusebius lib. 8. cap. 17.  
Hæc autem decimo imperij anno exacto celebrata; colligo tum ex inolita con-  
suetudine, tum etiam ex panegyrico die natali Maximiani recitato, in quo  
Orator ait: *Gaudeo igitur (si fas est confiteri) dilatam esse illam cupiditatem meam;*  
*neque enim orationis eius quam composueram, facio iacturam, sed eam referuo, ut quin-*  
*quennio rursus exacto, Decennialibus tuis dicam; quoniam quidem lustris omnibus præ-*  
*dicandis, communis oratio est.* Si alterum quinquennium exactum laudat, decen-  
nalia anno decimo euoluto agenda erant. Ceterum utrumquæ Augustum vi-  
cennalia præter statum tempus soluisse ex eruditissimi Patini nummo atque  
Eusebio indicaui in dissert. de Numismate Diocletiani cap. 2. Hæc vicenna-  
lia vota soluta sunt A. D. 303. V. C. 1056. à primis Decennialibus ab Augu-  
sto celebratis 329. Ex his quæ fusiùs digessi, patet Licinium omnium Augu-  
storum primum, Decennialium solutionem anticipasse, cuius rei causam ratio-  
nemque in proxima disertatione explicatam, iterum cum Lectorum molestia  
non vacat repetere. Non est animus decennalia Principum, qui post Con-  
stantinum Romanum imperium moderati sunt, in literas mittere; cum eadem  
& plurima eorundem Numismata, & Idatij ac Marcellini fasti designent, ut de  
anno illorum solemnium dubitare nemo possit.

Hoc de votis Decennialibus, ut Vellei verbis utar, *voto finiendum volumen*  
*sit.* Te immortale Numen, vosque Etruriæ præsides ac custodes Diuos præ-  
cor ac posco, ut Serenissimo Magno Duci COSMO III. plura quàm Au-  
gusto DECENNIA solvantur. *Non pacem, non concordiam, non securitatem,*  
*non opes oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum*  
*est, salus PRINCIPIS.* Hoc sanè votum omnibus gentibus, cunctis ho-  
minum Ordinibus, sed præcipuè bonarum artium professoribus concipien-  
dum est, cum illum iam pridem Musarum præsidium senserint, ac modò præ-  
sentissimum literatorum Numen adorent. Etenim cum Princeps iuventutis  
remotas quasque gentes regij vultus serenitate beaturus, Europam lustraret,  
Gymnasia, Academias, atque omne literarum secretum rimabatur, angustos  
vmbraticorum hominum lares augustus hospes implebat: doctorumque ho-  
minum laureis verendæ maiestatis fasces submittebat, ita ut non exterarum  
gentium mores, non nobilissimarum Urbium miracula, non potentissimorum  
Regum opes spectaturus; sed Academiarum frequentiam, Bibliothecarum  
apparatum, ac eruditorum hominum vultus inuisurus; aduenisse videretur. In-  
de suam in Etruriam redux, naues ingenti voluminum pondere, hoc est, lite-  
rarijs manubijs, Musarum spolijs, doctaque gaza onustas, in patrios portus  
summisit. Dein magno Genitore sua inter sydera recepto, in ipsis augustæ  
dominationis auspicijs, non antiquarum Urbium mœnia, non arcium propu-  
gnacula, non armamentaria, non classem reparandam iussit, sed Laurentia-  
nam Bibliothecam, auitum illud ac copiosissimum Latine Græcæque sapientiæ  
thesaurum, regio ornatu illustrandam iniunxit, eamque in tanta mole fortunæ  
primam initi imperij curam posuit. Et quamvis amplissimæ ac felicissimæ di-  
tionis habenas moderetur, non equestria certamina, non theatrales ludi, non  
fre-

frequentatæ venationes, quibus inter lasciuientis fortunæ illecebras Principes indulgere solent, breues eidem non dicam dies, sed horas suffurantur, nam omni regiarum voluptatum aditu sibi studiosè intercluso, post pia ea-que longa Christianæ religionis officia, sanctiori mente, ac suo Numine iam plenus, secundas legendis voluminibus horas impertit, vt cum ipsa pietate ac literis imperium planè partiri velle videatur. Probè enim intelligit nobilius esse, pietatis ac sapientiæ famam, quàm imperij fines extendere. Hinc tanta eiusdem erga doctæ Palladis alumnos propensio, tam liberalis, tam inexhausta, & suum, idest, regium in mortem effusa munificentia. Haud enim patitur illos intra priuatos ac pauperes lares seruientium gregi immixtos latere, sed eosdem vel sacris apicibus dignatus, multa in luce collocat, vel honorarijs diplomatis compellatos, ac ditissimis congiarijs allectos, in Pisanum Athenæum, celeberrimum sapientiæ in Etruria emporium, regia manu deducit, eisque lætiora fata dispensat, vt penè inuidia mordeantur, qui procul eorundem fortunam inaudiunt. Hunc Principum Optimum eundemque doctissimum ingenuarum artium professoribus diu Superi commodent, sèra & propinquitibus tantum nota dies cœlo afferat, & vt Diuos decessores suos virtutum ac literarum gloria, ita imperij quoque diuturnitate superet; quot enim pro eiusdem incolumitate **VOTA DECENNALIA** iterabimus, totidem Reipublicæ literariæ securitatis ac felicitatis sæcula nuncupabimus.

**FINIS.**













